

VITT


NAZIONALE
VITT. EMANUELE
12
16 A
30



VENENUM,
& desuper
ANTIDOTUM,
Statûs Politici:

à R. P.

EUSEBIO NIEREMBERGIO

Societatis JESU

Primùm

Hispanicè conscriptus ;

tum Italicè

nunc verò

Boni publici causâ

etiam Latinè redditus.

Cum Gratia & Privilegio S. C. M.







PRAGÆ, Typis Univers. Carolo-Ferdinan:
in Colle: Soc JESU, ad S. Clementem. 1684.

Imprimatur.

Wenceslaus Bilek à Bilenberk Officialis.




AD

Benevolum Lectorem.

P*Rodijt ante complures annos Authore* R. P. EVSEBIO NIEREMBERGIO S. J. *magno asceta Hispano, ejus vulgari conscriptus idiomate Libellus, deinde Italicâ redditus lingvâ Titulo;* Il Veleno & l'antidoto de stati *insignitus, dignus profectò tanto Authore, qui hodie unus è celeberrimis habetur scriptoribus, multísq; operibus notus præclarissimis; & quia, pro moderna præsertim rerum peristasi, valde*

opportunus videtur, quò populus Christianus Barbaris inundationibus graviter attritus, seriò declinare à malo & facere bonũ *addiscat; id est, caveat sibi à* Veneno Statûs Publici, *aut adhibeat promptè ejus* Antidotum; *eapropter hoc Opusculum latinâ etiam Linguâ donatum publicæ pietati, atq; incolumitati censuimus offerendum. Tu, pie Lector, invenies salutaria tuæ pietatis fomenta: ex adverso, si, quod dolendum, malesani hausisti quidpiam incautior, huic remedium malo reperies adæquatum: utere, fruere bene, vale ac vive, Deo, publico bono, ac tibi.*

PRO-



PROLOGUS.

DUm præſentium temporum calamitatibus, atq; necquidquam contra eas proficientibus remedijs ingemiſco; non mediocre tamen vel inde ſolatium haurio, quòd non impoſſibilem eluctandi modum, ſed imparem duntaxat ægritudini curam; non humorum nimiam malignitatem, ſed medicinæ efficaciam, minorem ſolummodo eſſe advertam, quàm ut dolori medendo ſufficere poſſe videatur. Nam ùt olim Imperator Baſilius ad Leonem filium pronunciavit: *Præſtantiſſimus medicorum ille eſt, qui accommodatas cuiq; morborum generi novit adhibere curationes.* At ſi morbi principum ignoràris; quænam inſuper medendo malo medela adhibenda ſit, ut ignores, eſt neceſſe. Proinde

Magnus ille Urbis Medicus Cornelius Celſus (lib. p..) rectè inquit : *Cujus rei non eſt recta notitia, ejus opinio certum reperire remedium non poteſt.* Difficilis erit ægritudinis cura, cujus principium ignoratur; nec remedium adhiberi malo poterit, cujus origo, vel occulta eſt, vel non obſervatur. *Non poteſt ſcire*, pergit præfatus Celſus, *quomodo morbos curare conveniat, qui, unde hi ſint, ignorat.* Hinc prima prudentis Medici cura in eo ſita eſſe debet, ut mali originem indaget; cui tantò faciliùs medebitur, quantò compertum magìs ejus principium habuerit; &, ùt inquit idem Autor, *is rectè curaturus eſt, quem prima origo cauſæ non fefellerit.* Exiſtimo equidem, nos hac in re parum admodum oculatos hactenus fuiſſe, atque idcirco vehementer à ſcopo aberraſſe. Tum verò primùm ſaluti publicæ conſulemus, ubi calamitatis noſtræ primam radicem indagaverimus. Nam & ijſdem, qui in eadem cum Jona navi erant, ſaluti fuit, naufragij cauſam reperiſſe.

§. I.



§. I.

Quî Rebuspublicis afflictis consulendum sit?



Ihil conferet ad Regni tutelam Magistratuum vigilantia, delectus militum, numerus copiarum, exercitûs potentia, frequentia tributa, opportuna rerum notitia, & sapientissima quæque consilia, si calamitatis radix humanæ prudentiæ indagine deprehendi non possit. Si naturalis duntaxat foret malorum, quibus premimur, origo, communia tollendis remedia sufficerent;

ſi non esset, quàm malevolus inimicorum nostrorum animus; Imperij nostri potentiâ coërceretur; ſi ſola nobis inſultaret Proditorum perfidia; nostra ſecuros nos redderet integritas. Imperium profectò tam validum, ſub Principe tam Catholico, tam pio, naturaliter tam citò diſtrahi non potuit. Unde patet: non eſſe naturale id, quod tantis viribus reſiſtere potuit. Non eſt hîc culpanda fortunæ inconſtantia, ubi pœnam meruit malitia. Incaſſum ibit omnis cura, niſì adſit efficacior medela. Fruſtra enim ars & induſtria humana laborat, ubi malũ, medicam Numinis manum non meretur. Veriſſimũ eſt, quod ait S. Paſchaſius, lib. de Sacram: *Impoſſibile eſt per medicinam illius artis ſanari, quæ di-*

divina ultio premit. Peccata noſtra malorum noſtrorum ſunt origo; quibus Hiſpaniam Deus terrere vult, non evertere. Nec eſt remedium expectandum ab ulla prudentia politica, ſed ab agnitione & correctione delictorum. Et quemadmodũ juxta Medicorum effatum, agriculturâ ſana corpora conſervantur, & medicinâ ſanantur infirma; ità prudentia Respublicas in vigore conſervat, hoc verò deſtitutæ, per pœnitentiam, morúmq; emendationem reſtaurantur. Hiſce medijs hacten⁹ deficientib⁹, vana fuêre omnia, quibus ſtatui publico mederi, & Imperium conſervare conati ſumus. Hoc enim, niſi divino favore protegatur; humanâ induſtriâ non defendetur. Vana erit Principũm vigi-

lantia, si DEUS populi delicta, in toto Regno vindicare decernit. Inanis erit hominis industria, nisi Deus ipse Rempublicam tueatur. Peccata calamitatum nostrarum sunt origo, à quarum remedio, tantò remotiores fuerimus, quantò remotiores ab emendatione. In hanc unam nisi incumbamus, neque Magistratus malo medelam reperient, neque populi lamentis finem. Non semper ea, quæ dolet, corporis pars ægra est; sæpe illic dolor est, ubi nec advertitur. Lamentabitur vulgus vel super Regimine, vel super exiguo Regiminis successu; damnabit Ministrorum quorundam incuriam, & exiguam providentiam; alijs culpam tribuet, quam vel tribuere sibi ipsi, vel in nos omnes conjicere debe-

deberet. Propter peccata Populorum errant Magistratus, quantumvis id, quod suâ interest, curæ sibi sumere laborent, & re ipsâ sumant. Idem erit de infausto rerum successu; illud enim novercante fortunâ malè cedet, quod alioquin error non fuisset. Quidquid accidat, peccatis nostris tribuendum est; sive errent Magistratus mali, sive boni non tutè procedant, sive rectâ intentione malum disponant, sive perversâ malum intendant. Illud in ultionem publicorum criminum DEUS ordinabit, istud permittet. Delicta publica merentur, ut populus perversos habeat Rectores, aut ut boni non agant, quod è re est, aut careant successu. Ecquis Regum justior, quis Sanctior fuit Josiâ?

 quis

quis majori innocentià, optimâq; intentione magìs conſpicuus? Verùm peccata populorum ejus meruerunt, ut, cùm ipſi in malitia ſua obſtinati perſeverarent, tum Rex ipſe peſſimis rerum ſucceſſibus affligeretur. Verendum ſanè eſt, quod verebatur Petrus Damianus l. 7. c. 7. ità ſcribens Henrico Romanorum Regi; *Cavendum eſt, nè malitia ſubditorum redundet in Regem.* Qui dum delinquunt, nec Princeps pœnâ vacabit. Ex hac ipſa ratione idem Damianus Henrico Regi metuebat, nè dimidio Regni ſui privaretur. Grande imponunt onus Principum humeris populi perverſi; & quantumvis illi probi ſint, & zelantés, horum efficiunt delicta, quò minùs auſpicato rerū ſucceſſu potiantur. Peccata certè

fons

fons & origo sunt calamitatum, causa bellorum, jactura Provinciarum. Probè id intellexerunt Franciæ Arch-Episcopi Vicenelius, Hinemarus, & Rudolphus, ùt ad annum 845: n. 6. Baronius adnotavit: qui dum regnum illud à Normannis vexari, incinerari oppida, Provincias expilari viderent, unicam mali hujus radicem peccata Regni repererunt; adeóque id unum egerunt, ut corrupti mores emendarentur potiùs, quàm exercitus in campos educerentur. Proinde congregato Meldæ Concilio deliberârunt, quomodo imprimis vitia exstirparent; arbitrati hanc unicam Regno tutelam abunde sufficituram. Idem nunc est in Hispania rerum status, qui tunc fuit in Gallia: quemadmodum ex

ex ipſis Concilij verbis apparet, quæ hìc referre non intermittam, ut remedium non negligamus, ubi parem videmus eſſe noſtram calamitatem. Sic ergo in Præfatione loquitur Concilium: *Graſſante iniquitate, & elongante ſe optatâ atq; optabili Pace, non ſolùm à medio noſtri, verùm, quod eſt lugubrius, à finibus noſtris, perſpicientes à Divina miſericordia, quæ potiſſimùm in tribulatione ſuis fidelibus conſueverat ſemper adeſſe, tot miſerorum gemitus, tantáſq; lacrymas, & pene intolerabiles, & in hac Regni duntaxat parte, inauditas afflictiones, & horribiles calamitates, ſurdâ (ità fas ſit loqui) aure juſto judicio præteriri; ob hoc juſtæ indignationis Divinæ meritò deflendum ſupplicium, & Eccleſiæ Chriſti devoto pectore tractandum negotium, Præ-*

ſul.

ſulum quoque, & ſequentis Cleri correctionem, & Regis, & Regni ſalubritatem atq; ſtabilitatem, & populi Auctore, & Fautore Domino procurandam ſalutem Venerabiles Epiſcopi, Vicenelio videlicet Senonicæ Sedis Archi-Epiſcopus cum Suffraganeis ſuis; Hinemarus quoq; Sanctæ Metropolis Eccleſiæ Remorum Epiſcopus cum Co-Epiſcopis ſuis; & Rodulphus Bituricæ Civitatis Archi-Epiſcopus, cæteris etiam DD. Sacerdotibus legatis vel ſcriptis ſuam præſentiam exhibentibus in Meldenſem Eccleſiam de ſuis Civitatibus convenerunt. Tantum calamitas eorum temporum requirebat molimen, & noſtrorum certè aliquod, nec minùs afficax requirit. Stupenda profectò res eſt, tot in his Regnis data arbitria, tot inſtitutas conſultationes, tot Reſolu-

ſolutiones emanâſſe, tot publicata eſſe Decreta, quorum potior pars vel evanuit, vel lucem non aſpexit: id tamen, quod ad morum emendationem pertinet, tam exiguum habuiſſe effectum, & fortaſſis nec in deliberationem veniſſe. Huc animus advertendus, & procerto tenendum, quod c. 9. dicit Propheta Amos: *Ecce oculi Domini ſuper Regnum peccans*, cui ſtatim ſubjungit, DEI nomine loquens: *& conteram illud à facie terræ.* Idem & nobis metuendum: quare Divinæ ultionis rigorem ſeriò penſemus, & truncando vitia, calamitatibus medeamur. Non eſt, ut arbitror, multis opus ad perſvadendum, peccata jacturarum noſtrarum cauſas eſſe; cùm tam multiplicia committi videamus. Illud

ſanè,

sanè, pro certo accipi velim, rem aliter se habere non posse.

§. II.

Peccata Calamitatum publicarum causam esse.

NOn præsumo equidem, peccatorum hujus Regni Censorem agere, nolo illa ijs quæ alibi fiunt, vel alio tempore facta sunt, comparare; DEus novit quando & ubi majora scelera patrata sint; multa sunt ubiq; quæ latent, quæ verò patent, non pauca. Nolim hìc ego definire, pluribúsne, an paucioribus, quā quinquaginta abhinc annis, florente tum admodum Imperio nostro, hisce temporibus Hispania abundet peccatis. Nam si non ijsdem, paribus fortâsse tamen

men eo tempore laboravit. Non ignoro: celebre ante non paucos annos Magni illius Hispalensis Præsulis Capo di Vacca dictum fuisse: Hispaniam denuo destrui oportere, ut cum incremento rursus restauretur. Existimo ego, plura tunc nonnunquam peccata fuisse, nonnunquã pauciora hisce añis, dum Antecessorũ nostrorum delicta continueremus, & illa, & ista DEus castigat. Hâc usus est methodo Dominus in Regnis Israël & Juda, & aperuit mentem suam per Prophetas, Isaiæ c. 14. dicens: *Præparate filios ejus occisioni iniquitate Patrum*; dúmque Judæi interrogarent; cur tantis à DEO calamitatibus affligerentur? mandatum dedit Dominus Jeremiæ, ut responderet: *quia dereliquerunt*

me

me Patres vestri, dicit Dominus. Neque decernam, pluráne in Hispania, an Gallia, Hollandia, aliísve Provincijs peccata reperiantur; id solùm de nobis affirmare ausim: nosmetipsos hisce calamitosis temporibus, justo DEI permittentis arbitrio, ab extraneis non mediocriter vexari. Neq; tamen sequitur: plus pœnarum mereri eos, qui vexantur, majorémve ijs reatum inesse, qui persecutionem patiuntur; quã qui persequuntur.

Et sanè, non erant Madianitæ aut Philistæi Israëlitis meliores. Et tamen hi bellis illorum, infestis irruptionibus, sævâque tyrannide primùm quantùm fatigabantur? Nunc tempus nostrum advenit, nunc DEO decernente, irruptione Gallorum, inobedientiâ Catalau-

launiorum, perduellione Lusitanorum, tantùm non opprimimur. Hæc nostra nunc sunt flagella. Unde S. Augustinus de verb.dom. tr. 19. ità loquitur: *Non læteris impie, vel tyranne, quoniam virga, vel flagellum efficeris, novit enim prudens Doctor, nec ignorat pius Pater, post castigationem promovere Discipulum, & post debitam emendationem paternali hæreditati præficere filium, flagellum verò, sive virgam, incendio flammarum comburere.* Chaldæorum operâ Deus usus est ad delicta Judæorum vindicanda, his vicissim, ad animadvertendum in Chaldæos; unde factum, ut Judææ Regnum majora semper se ipso sumeret incrementa Chaldæa verò Imperium, quo exciderat, nunquam amplius è manibus Judæorū posset revocare. Fi-

Fiduciam ergo noſtram in DEO collocemus, & poſt nubila Phœbum expectemus; ſperemus in Divinam Bonitatem, perſvaſúmque nobis habeamus; juſtitiam illius à noſtra malitia provocari; perſvaſum, inquam, habeamus, non aliunde calamitates noſtras, quàm à fontibus delictorum noſtrorum promanare. Cui ut firmiùs aſſentiamur, ſuppono: propter peccata everti Monarchias, transferri Regna, imperia finiri. Hoc adeò verum eſt, ut Ethnici quoq; idipſum fuerint conteſtati. Unde Seneca in Thyeſte: *ubi non pudor, nec cura juris, ſanctitas, pietas, fides, inſtabile regnum eſt.* Idque conſentit cum eo, quod dicitur proverb. c. 6. v. 1. *Juſtitiâ firmatur ſolium.* Hinc advertit Plato l. 1. de Republi-

publica, quemadmodum Justitia omnis felicitatis est origio; ità injustitiam omnis infelicitatis Matrem esse. *Infelicitatis autem Mater injustitia.* Ità ille. Et ValeriusMax. lib. 4. ait: *Hi Penates, ea Civitas, id Regnum æterno in gradu facilè steterit, ubi minimum virium Veneris, pecuniæq; cupido sibi vendicaverit.* Et nè ad alias Autoritates digrediamur, de fide est; propter peccata complura regna punita fuisse. Unde sequitur; cùm pares delictis nostris calamitates patiamur, has nobis propter illa infligi; successurámque pœnam mitiorem, ubi imminutus fuerit numerus peccatorum. Loquuntur id sacræ paginæ in toto Libro Judicum, libris Regum, & Prophetarum; qui idcirco ab ijs, qui ad Clavum sedent, sæpe sæpi-

sæpius forent lectitandi. Imperatorem Carolum V. in tam insignē Principem evasisse, sunt, qui ejus Præceptori Adriano, quòd Eidem libros Regum explanârit, referant in acceptis. Atque, ut aliquid ex sacris libris adferamus: Respublica Hebræa sub Judicum gubernatione constituta, quotiescunque delinquebat, toties à DEO inimicis in prædam, & servitutem data plectebatur; expiatis verò per pœnitentiam peccatis, exaltabatur à Domino, & favoribus cumulabatur. Sub Regum Dominio deinde, dum Regnum esset validissimum, permisit DEUS, ut Jeroboam legitimo Regi suo fieret perduellis, & Respublica in duo distincta regna divideretur, quorum alterum, Israëliticum illud, propter

pter ingentem nequitiam ùt ſalem aqua, propè penitùs diſſolvit; & per Aſſyrios adeò devaſtavit, ut abductis, quæ ſupererãt, in ſervitutem incolis, tota Provincia hominibus vidua, & deſerta relinqueretur.

Alterum horum regnorum per Chaldæos pari rigore fuit caſtigatum. Calamitoſos hoſce ſucceſſus, florenti adhuc Reipublicæ DEus pro ſua benignitate & miſericordia, per complures Viros ſanctos prædixit; qui de ſecuturo propter peccata flagello populum & Reges admonerent, ut niſi totius Reipublicæ Regúmque ruinam vellent, diſſolutos mores ad normam omnino revocarent. Pari prorſus ratione cum alijs mundi hujus Imperijs DEus proceſſit, dum

dum Assyrij licentiam & impudicitiam maximè sectarentur; à Medis & Chaldæis sunt devastati, Imperium Babylonicum eversum, dum maxima deliciæ, idolatriæ, sceleráque sumerent incrementa. Persæ pariter Monarchiâ exuti sunt, dum maximè essent dissoluti. Idem accidit Græcorum Imperio, regno Ægypti, & Idumææ, aliísque Judææ confinibus: quódque Prophetæ propter peccata eorum eventurum prædicebant, id re ipsâ evenit. Non est ulla Reipublicæ calamitas, nulla Monarchiæ, Regníque vicissitudo, cui peccata non præbeant occasionem. Unde Spirit: S. Prov. 14. 34. *Justitia elevat Regentem, miseros autem facit populos peccatum.* Dum ad Clavum sedet injustitia, non progreditur

Rex de gente in gentem, nec ultra limites regnum extendit; ubi è contrario fastigium teneret. Populos miseros faciunt delicta; quibus & ipsi Reipublicæ suæ ruinam accersunt.

Jussu Caroli Regis Galliæ, ejectis è Regno suo, quod pluriũ añorum spatio divexabant, Anglis, non nemo Gallorum postremos Classem conscendentes, per ludibrium percontatus: quandonam rursus Galliam revisuri essent? hoc ab Equite non ineptum retulit responsum, tum demum fore, ut redirent, ubi majoribus Gallia, quàm Anglia delictis abundârit. Lobet: in flag. pecc: lib. 1. Sat clarè ipse Dominus, dum Israëlem bellorum tumultibus devastaret, unicam tantarum calamitatum causam,

deli-

delicta populi assignavit, ità loquens per os Jeremiæ: *nunquid servus est Israël, aut vernaculus? quare ergo factus est in prædam? super eum rugierunt Leones, & dederunt vocem suam, posuerunt terram ejus in solitudinem, Civitates ejus exustæ sunt, & non est qui habitet in eis; filÿ quoque Mempheos & Daphnes constupraverunt te usque ad verticem; nunquid non istud factum est tibi, quia dereliquisti Dominum DEUM tuum?* Idem Jeremias loquens de calamitatibus, quibus regnum Judæ premebatur, earundemque causam adducens, subjungit c. 4. v. 18. Quia me ad iracundiam provocavit (Jerusalem) dicit Dominus, viæ tuæ & cogitationes tuæ, fecerunt hæc tibi, ista malitia tua, quia amara, quia tetigit cor meum. Et Isaias c. 3.



c. 3. v. 8. *Ruit Jerusalem, & Judas concidit, quia lingvæ eorum, & adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos Majestatis ejus.* Oseas Propheta exclamat c. 5. v. 5. *Arrogantia Israël in facie ejus, & Ephraim ruent in iniquitate sua, ruet etiam Judas cum eis.*

Idem propè dixit Propheta Ezechiel c. 7. n. 24. *Civitas plena iniquitate, & adducā pessimos de gentibus, & possidebunt domos eorum, & quiescerē faciam superbiam potentium & possidebunt sanctuaria eorum. Angustiâ superveniente requirent pacem, & non erit; conturbatio super conturbationem veniet, & auditus super auditum.* Omnium horum causam sufficienter Dominus manifestat, dum inquit: *Secundùm viam eorum faciam eis.* Verùm non per

Pro-

Prophetas duntaxat tempore Regum ad suum populum submissos hujusmodi calamitates Dominus, earúmque causas manifestavit; sed easdem etiam minatus fuerat in Devteronomio c. 29. v. 24. *Dicent omnes gentes : quare sic fecit Dominus terræ huic? quæ est hæc ira furoris ejus immensa? & respondebunt: quia dereliquerunt pactum Domini;* id est : non servârunt legem ejus. Idem sibi persvasum habuit Aquier Ammonita ad Holofernem de Judæis ità perorans: *Si est aliqua iniquitas eorum in conspectu DEI eorum, ascendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos DEUS eorum tibi, & subjugati erunt sub jugo potentiæ tuæ; si verò non est offensio populi hujus coram DEO suo, non poterimus resiste-*

re illis, quoniam DEUS illorum defendet illos. Judith. c. 5. v. 24.

Inter alia regna, quæ Providentiæ Divinæ Aſſiſtrici magìs curæ fuerunt, ut illa à vitijs revocaret, Hiſpania eſt, quam ſcimus varijs vicibus afflictam à Carthaginenſibus, Dominationi Romanorum deinde, & aliquot pòſt annis Vandalorum, Silingorum, Alanorum, Svevorum tyrannidi ſubjectam fuiſſe. Occupârunt & illam Gothi, poſt illos eandem Arabes everterunt; nunc verò ab invidis ſuæ felicitatis vexatur. Idque propter peccata, cùm gens tam valida, & generoſa à ſeſe debilioribus vexata, exteríſque ſubjecta fuerit, eveniſſe advertit Salvianus lib. 7. de Hiſpaniæ per Vandalos everſione, cauſam impudicitiæ peccatis adſcri-

scribit: *Nunquid*, ait, *non erant in omni orbe terrarum barbari fortiores, quibus Hispaniæ traderentur? multi absq; dubio, imò ni fallor omnes; sed ideo ille infirmissimis hostibus cuncta tradidit, ut ostenderet scilicet, non vires valere, sed causam; neque nos tunc ignavissimorum quorundam hostium fortitudine obrui, sed solâ vitiorum inpuritate superari, ut verè in nos veniret dictum illud, quòd ait ad Judæos Dominus: Secundùm immunditias, & secundùm iniquitates suas feci illis, & averti faciem meam ab eis.* Devter: 28.

§. III.

Prudentiâ & industriâ humanâ reparari non posse id, quod peccata destruxère.

EVidens præterea signum est,

calamitates, quas experimur, flagella cœlitus immiſſa eſſe, eò quòd inſtitutis tot conſultationibus, tot datis arbitrijs, tot adhibitis remedijs, quæ ad avertendum, qualecunq; tandem malum periculúmve ſuffectura videbantur: neque impediri potuerint, neque averti. Sed non eſt prudentia & induſtria contra conſilium DEI caſtigare decernentis. Unde Iſaias c. 59. v. 6. *Telæ eorum non erunt inveſtimentum, neque operientur operibus ſuis, opera eorum opera inutilia.* Imò, quod paramus in tutelam, ſerviet in ruinam, conformiter ad illud Oſeæ c. 8. v. 1 *Quia ventum ſeminabunt, & turbinem metent; culmus ſtans non eſt in eo, germen non faciet farinam, quod etſi fecerit, alieni comedent eam.* Officiunt induſtrijs no-

noſtra delicta, quódque magnis impendijs comparatur, aut telâ araneæ citius diſſipatur, aut ipſis noſtris conſilijs mactamur. Nunquam Conſtantinopolis majorem defenſioni ſuæ curam adhibuit, quam Phoca Nicephoro imperante; ſed in caſſum, imò admonitus Imperator, hanc è cœlo vocem audijt, ut refert Baron: ad An. 964. n. 37. O Imperator, erigis muros? & tametſi vel ad cœlos eos adducas, intus cùm ſit malum, urbs captu facilis eſt. Nil conferunt contra hoſtes extraneos munimenta, dum domi tot hoſtes habemus, quot peccata. Nulla quidquam valet defenſio, dum iſta nobis inſultant. Collectus eſt miles, ut mundum occupet, nec ſufficit, ut nos ipſos tueatur; plurimæ

phalanges perierunt, priusquam ad Exercitus pervenirent, & hi quidem dissipati sunt, antequam vel conspectum hostis viderent. Profusum est tantum æris & argenti, ut eodem non occupari solùm, sed emi Rebellium nostrorum Provinciæ potuissent, totum hoc tamen, nec militibus nostris in stipendium sufficit. Unde patet tantam jacturam non esse novercantis fortunæ, sed supplicij Divini. Temerarius non sim, si dixero: non minores calamitates impendére Hispaniæ ob carnis delicta, ac Anglia tolerârit ob hæreseos peccata. Quanquam culpam diversam sequatur & pœna diversa, Manifestum divinæ vindictæ argumentum fuit, collectam illam in regno illo immensam pecuniæ vim

vim, uno quaſi momento in auras abijſſe. Nam ùt inquit Sanderus l. 3. de Sch. Angl. cùm decima eorum portio, quæ Henricus VIII. ex opulentiſſimis quibusvis totius Regni Eccleſijs, eorúmque bonis corraſerat, ad avariſſimi cujúsque Evclionis ſatiandum animum ſuffeciſſet; hæc omnia tamen, tantum aberat, ut ad publici boni emolumentum quidquam conferrent; ut à Regimine illic Anglicano majora indies tributa imponi fuerit neceſſe. Eâ tempeſtate Regum in Evropa nullus, neque Prædeceſſorum aliquis opulentior eſt repertus, tantâ tamen poſt paulùm egeſtate premebatur, ut plura tributa ac onera ſuis imponere, quàm omnes alij Reges, quotquot 50. annorum ſpatio ſolium tenue-

runt, unicus ille ſit coactus. Nam præter monetæ ingenti cum jactura adulterationem, illo ipſo anno, quo tantos theſauros collegerat, inauditum regno ſuo impoſuit tributum, dum quivis Fiſco Regio plus quàm nonam bonorum ſuorum partem perſolvere teneretur, ídque ipſum alijs annis fieri imperaret. Deinde ab omnibus mutui ad inſtar magnam pecuniæ vim popoſcit, annóque inſequenti ad ingens Donativum coëgit; nec hôc contentus, argenti & auri pretium adauxit, quod majori eidem quàm omnia ſuprà dicta emolumento fuit; huic adjunxit cuſam ex adulterato auro argentóque monetam, unde ingentem pecuniæ cumulum congeſſit, atque ità legitimam monetam attrahendo,

cudendo verò adulterinam, ingens sibi lucrum comparavit. Omnes hæ divitiæ in majorem regni illius pœnam in auras abierunt; unde injunxit, ut quivis decimam, vel duodecimam Censuum suorum partem, & ex bonis mobilibus decimam duplicatã persolveret: demum eò delapsus est, ut omnes Hospitalium, Collegiorum, & fundationum pro defunctis reditus sibi subjiceret, & de ijs pro arbitrio suo disponeret, Ingentes tamen hæ divitiæ Regno illi sublevando non sufficiebant, quòd peccatis suismet opprimeretur. Tantam ergo pecuniæ summam communibus industrijs collectam, ad publici tamen boni emolumentum nihil conferre, non est, quod malæ rerum âdministrationi, aut

ministrorum incuriæ tribuamus. Ut exhaustis ærarijs, fine tamen nostro non potiamur, peccatis hæc pœna debetur. Quanquam misericordiæ suæ oculo, utì sperandum est, respecturus nos sit, benignissimus DEUS.

§. IV.

Fidem sinè operibus parum prodesse.

NOn est, quod Fidei puritate, quæ in Hispania conservatur, gloriemur; quantumvis enim ea in omnibus pura sit, in paucis tamen, operum defectu, est viva: S. Jacobus in Epistola sua, quam gravium Autorum Serrarij & Dazæ judicio¹, ad Hispanos perscripsisse perhibetur, efficaciter probat, quàm parum sinè operibus prosit

Fides

Fides: Nam & Dæmones credunt, operum tamen defectu, nihilo se ipso meliores. Idem S. Isidorus (lib: de diff. Spir. num: 30.) Insinuavit, dum dixit: *Non potest per Fidem DEO placere, qui DEUM contemnit.* Imò, quantùm fidelis sinè operibus placeat, cùm ei maledicat Christus, in nonnullis Evangelij figuris, ùt notat D. Gregorius, videmus. Nam ficulnea maledicta fuit à Domino, quòd fructum non haberet: & servus quòd non fuisset operatus, condemnatus. Videtur S. Apostolus Jacobus ad nostra usque tempora, quibus omnia in regno nostro jactantur, jam tum respexisse; dicit enim c. 2. n. 24. *quid proderit Fratres mei, fidem si quis dicat se habere, opera autem non habeat; nunquid poterit Fides*

des salvare eum? Id est: Sola Fides, nisì operibus adjuvetur; non conducit ad salutem; quemadmodum Apostolus multis argumentis, & similitudinibus convincit. Sicut enim pauperi nudo, famelico, & sitibundo (& hæc S. Apostoli est comparatio) non succurreris, nisì de victu & amictu prospexeris; ità animæ parùm admodum profueris, si nôris, quî Deo placere possis; neque tamen operi manum admoveas. Porrò, quemadmodum corpus sinè anima cùm examine sit, nihil prodest; ità Fides sinè operibus, cùm mortua sit, inutilis est. Parum differt Ethnicus à Catholico, qui non operatur ùt Christianus; uterque mortuus est: nam, ùt dicit S. Chrysostomus in 1. ad Tim. 5. *Viventes non eo tan-*
tùm

tùm à mortuis differunt, quòd ſolem & aërem vident; ſed eo, quòd boni aliquid faciunt; niſi enim id adſit viventibus, nihilo defunctis meliores ſunt. Hinc ait S. Cyrillus, quòd peccare, ſit quaſi occidere fidem; in c. 4. Matth. 43. *Si quis poſt juſtificationem decidat in peccatum, fidem in ſe ipſo quaſi occîdit.* Et S. Bernardus Serm: 24. in Cant: *Munus mortuum offers DEO. Bene honoras DEUM munere fœtido? bene places tuæ fidei interfector?* Proinde veram appellare fidem nolunt alij Patres, quæ operibus caret. S. Hieronymus fidem deficere aſſerit, ubi deficit charitas, forma virtutum: ſic enim ſcribit in c. 5. ad Galat. *Cùm dilectio procul abfuerit, fides pariter abſcedit.* In eundem ſenſum Didimus pronunciavit: *Fides*

Fides mortua non est Fides, sicut homo mortuus non est homo. Nimirum propter exiguum fructum Fidei mortuæ, non quòd desinat esse Fides. ulteriùs progreditur S. Augustinus, fidem, quæ sinè operibus est, diabolicam appellans. S. Anselmus c. 1. ad Galat. Diabolorum fides est, inquit, non Christianorum, Deo lingvam dare fidem confitendo, Diabolo autem animam, præcepta Divina transgrediendo. Pariter S. Bernardus Serm. 24. in Cant: *Confiteris te nôsse DEUM, factis autem negas, non rectè planè, sed impiè lingvam Christo, animam dedisti diabolo.* Id ipsum advertit Chrysostomus existimans, non esse Fidelibus, sed Atheis accensendum eum, qui ea patrare ausit in oculis Divinis, quæ agere nollet

nollet in oculis humanis. Et S. Hieronymus, quomodo pro vero & perfecto Christiano censebis illum, qui tali in statu vivere præsumit, in quali nollet mori. Non est, quod de pura Fide, si opera desint, gloriemur; neque enim Fides illis proderit, quos opera mala trahunt in ruinam. Imò, major metuenda nobis est pœna, dum meliùs credimus, & pejùs operamur. Permittit DEUS sæpe ab Infidelibus, Catholicos majorum scelerum reos subjugari. Fidele erat Regnum Judææ, sed propter peccata sua subjugatum est, & infidelibus mancipatum. Et Hispania multorum subjecta est Dominio barbarorum, ut major potestate, eos haberet Dominos, quibus superior erat iniquitate; quemadmo-

modum advertit Salvianus lib. 7. de Provid. ità loquens: *Dupliciter in illa Hiſpanorum captivitate DEUS oſtendere voluit, quantum & odiſſet acriùs libidinem, & diligeret Caſtitatem, cùm & Vandalos ob ſolam maximè pudicitiam illis ſupponeret. & Hiſpanos ob ſolam vel maximè impudicitiam ſubjugaret.* Idem de Hiſpaniæ per Arabes facta vaſtatione, dici poteſt, quam ob peccata præſertim impudicitiæ à DEO permiſſam aſſerit S. Bonifacius Martyr in epiſtola ad Equeldobaldum Regem Angliæ de natione Hiſpanica ità ſcribens: *Quæ ſic à DEO recedentes fornicatæ ſunt, donec Judex Omnipotens talium criminum ultrices pœnas, per ignorantes legem DEI, id eſt, per Saracenos venire, & ſævire permiſit.* Qui, licèt infideles, moribus

bus tamen Hispanos longè antecellebant. Nam sub Imperio Regis Almancor Arabes modestiâ & æquitate mirùm quantùm florebant. Timorem ergo nobis incutiant perversi mores nostri, non fidamus industriæ nostræ, timeamus, si plurium peccatorum rei simus, quàm Batavi cæteríque coronæ huius inimici. Caveamus, nè, si iniquitate eos vincamus, minoribus etiam eorum viribus superemur. Timeamus, nè si secundùm fidem bene operari negligamus, periculo deficiendi ab ipsa Fide nos exponamus. Nam, ùt inquit S. Paulus, multi negligentes bonam conscientiam, perdunt Fidem: & Christus Dominus noster, quomodo potestis credere, inquit, si gloriam vestram quæritis?

Ex

Ex historijs Ecclesiasticis compertum habemus, omnes hæreses, vel ab impudicitiæ, vel avaritiæ, vel ambitionis fontibus promanâsse.

§. V.

Victorias non tam militum copijs & armis; quàm virtutum studijs comparari.

NOlim persvasum nobis habeamus, tam præclara veterum Hispanorum facinora, tot insignes expeditiones, tot reportatas Victorias, tot subjugatas Provincias, veteri eorum potentiæ tribui oportere. Non enim tantis, ac nos viribus, sed virtutibus; non tantâ potentiâ, at majori æquitate præpollebant. Pari jam veritate dici potest, quod, referente S. Augustino

ſtino lib. 5. de Civ. c. 13. Cato dixit olim de Imperio Romano: *Nolite exiſtimare, majores noſtros armis Rempublicam ex parva magnam feciſſe; ſi ità eſſet, multò pulcherrimam eam nos haberemus, quippe Sociorum, atque Civium, præterea armorum, & equorum major copia nobis, quàm illis eſt. Sed alia fuère, quæ illos magnos fecerunt, quæ nobis nulla ſunt; domi induſtria, foris juſtum imperium, animus in conſulendo liber, nec libidini, nec delicto obnoxius, pro his nos habemus luxuriam, atq; avaritiam, publicè egeſtatem, privatim opulentiam, laudamus divitias, ſequimur inertiam, inter bonos, & malos diſcrimen nullum, omnia virtutis præmia ambitio poſſidet.*

Hanc Ethnici hominis ſententiam, & nobis Chriſtianis vellem per-

persvasam esse; Victorias nimirum non tam viribus & armis, quàm virtutibus parari, easque à Deo ijs concedi, quos castigare non statuit; qui nec præsumptione, neq; superbiâ, nec injustitiâ, nec luxuriâ, neque sacræ legis contemptu, divinam indignationem provocârunt. Valde prudenter & Christianè egit Alphonsus Arragoniæ & Neapolis Rex, dum Filium suum Ferdinandum contra Florentinos militaturum, his verbis instruxit (Panor. in vit. Alf. Reg.) *Noli ô Fili tantum tuæ aut Commilitonum audaciæ tribuere, ut putes, absque DEI auxilio, victoriam ullam haberi posse: Victoria enim non hominum disciplinis, aut industriâ paratur, sed DEI Optimi Maximi benignitate & arbitrio; DEUM igitur cole, & tibi concilia;*

cilia; quodsi quando eum tibi iratum suspicareris, cave contendas, & quidquid ab eo tibi accidisse videbitur, boni consule, & patientiâ, & pœnitentiâ eum placa.

Nominat se Deus Dominum Exercituum, illorum enim arbiter est, & victoriam quibus vult, paucis quoque, & inermibus elargitur. Quantumvis res nostræ sint in angusto, non ambigamus, victoriarũ palmas nos messuros, ubi vitia stirpitus eradicaverimus. Extirpemus vitia, & Deus instar pulveris conteret inimicos nostros. Dei castigantis manum tanquam benigni Patris exosculemur, & recipiet nos in filios suos. Si talem veneramur, plus poterimus sinè militum copia, quàm cum totius mundi potentia.

Trecenta hominum millia eduxerunt Philiſtæi contra inermes Iſraëlitas, tantóq; pavore percuſſos, ut in montibus inter exeſas rupes, & ferarum latibula latitarent. ubi tamen ad paternam DEI manum lacrymantes confugerunt, operâ unius Jonathæ, ejúsque armigeri, formidabilem illum exercitum in turpiſſimam fugam coëgerunt 1. Reg. 14. vide Joſeph: & Salianum. Obſeſſa erat Betulia à Duce omnino ſtrenuo, & exercitu tum in orbe toto validiſſimo; ſed nec opus fuit duobus hominibus ad ingentem hanc potentiam diſſipandam. Una mulier fecit confuſionem, plúsque profecit Iſraëlitarum pœnitentia, quàm totius mundi potentia profeciſſet. In quantis anguſtijs Ezechiæ Re-

gis

gis tempore versata fuerit Urbs Hierosolymitana, vel inde patet: quòd eam tunc potentissimus orbe toto Imperator non tam exercitu, quàm integro hominū mundo cingere sit visus. Sed, ubi urbs tota in lacrymis & planctu ad Dominum exercituum se convertit, nec duobus viris, nec muliere unâ opus fuit ad tanti hostis vires enervandas. Nam sinè hominis ullius manu, noctis unius spatio ad usque diluculum totus ille dissipatus est exercitus, omnésque campi cæsorum cadaveribus natavêre. Angelus quippe Domini centum octoginta quinque millia Assyriorum percussit, eósque qui supererant, è castris profligavit. Quin & sinè Angelorum ministerio dissipat Deus, ubi vult, numerosissi-

mos exercitus, utitúrque ipſis inimicis noſtris velut inſtrumento, in noſtri tutelam, ſi mandata ejus cuſtodierimus.

Dum Regis Joſaphat tempore 2. paral. c. 20. Amonitæ, Moabitæ, & habitatores montis Seir inſurgerent contra Judæos, hi verò miſericordiam DEI cum lacrymis & fiducia identidem implorarent, priuſquam condicto prælio conſereretur, *filij Ammon*, ùt inquit ſcriptura, *& Moab conſurrexerunt adversùm habitatores montis Seir, ut interficerent, & delerent eos, cúmque hoc opere perpetrâſſent, etiam in ſemetipſos verſi, mutuis concidère vulneribus*: ità ut Judæi retundendo hoſtium inſultui obviam ire parantes improvisò in pallentes cadaveribus campos inciderent, &

opu-

opulentissimis prædis refertissimos reperirent.

Eja igitur, delictis nostris vindictam Dei non provocemus, & sinè milite vincemus, neque audito priùs armorum strepitu, victorias canemus.

Non nisì Saulis & Jonathæ gladium & hastam Israël habebat; vicit tamen ijsdem exercitus Philistæorum, omnis generis munimentis, machinis, & armis instructos. Et Judas Machabæus contra Nicanorem pugnaturus armis erat destitutus; pietate tamen suâ meruit, ut inermis de hostibus suis gloriosè triumpharet. Quod si ergo ad Deum conversi salutari pœnitentiâ delicta nostra expiaverimus, si æquitati, & virtutibus reliquis studuerimus, non erit, qui re-

ſiſtere nobis poſſit, aut qui adverſùs nos conſurgat. Irrefragabilis veritatis eſt illud, quod dixit Jonathas; Deo difficile non eſt ſalvare ſive in multis, ſive in paucis. Idem reſpondit generoſus Machabæus; facilè eſt multos paucorum manibus claudi, neque enim in multitudine exercitûs ſita eſt victoria, ſed è cœlo venit fortitudo. Experta eſt illud Hiſpania, ſub ſuis Dominis, Alphonſis & Ferdinandis, qui exiguis proviſi copijs ingentes exercitus profligârunt, neque enim vires illas à terra, quæ nunc eadem eſt, ſed à cœlo mutuabant. Alia tunc verò eorum erat ſimplicitas, & æquitas, alia nunc noſtra ſunt delicta; illæ in nobis deficiunt; hæc ſumpſerunt, & in dies ſumunt incrementum. Hinc eve-

eveniet, ut urbes & oppida perdamus, hostibus nostris subjiciamur, victi magìs à vitijs nostris, quàm ab inimicis. Nam, ùt Salvianus ait l. 7. de Prov. *Nec illos naturale robur facit vincere, nec nos naturæ infirmitas vincit; nemo sibi aliud persvadeat, nemo aliud arbitretur, sola nos morum nostrorum vitia vicerunt.* Id probè compertum Regina Catholica habebat: proinde dum contra Granatenses Mauros bellum pararet, primam in emendandis suorum moribus curam collocavit.

§. VI.

Peccata privata bono publico plurimùm obesse.

QUantumlibet quivis, quòd suâ interest, sedulò accuret,

ret, quanquam tot mala suâ culpâ accidere fateatur; canéque pejus & angve caveat, statutam à DEO peccatorum mensuram adimplere ut nè fortassis ea propter totum Regnum severè castigetur, vel funditus evertatur, quanquam insuper nemo sibi blandiatur, multos in Hispania bonos & sanctos reperiri, quorum fortassis plures, saltèm non pauciores, quàm ullibi locorum reperiuntur; Regem præterea tam Catholicum, tam pium; zelum ejus tam sanctum, & causam tam justam esse; non conferent hæc omnia tamen ad evitandam publicam calamitatem, quã culpa privata promeretur.

Sanctus erat Josue, & Israël tunc bonis, Deúmque timentibus hominibus abundabat; Divino jussu

jussu bellum, cujus causa justior esse non potuit, gerebatur; ab hostibus tamen victi fuerunt ob Achan peccatum. Sæpius contingit, ut pœnam propter unius malum non avertat multitudo bonorum. Quemadmodum D. Ambrosius super navicula Petri, Discipulis Domini repleta, & fluctibus, ut Matth. 8. habetur, operta, disertè adnotavit. *Hæc est*, inquit ille (serm. 11. de mirab.) *Causa periculi; erat ibi Simon Petrus, sed erat pariter & proditor Judas; quamvis illius fides fundaret naviculam, hujus tamen eam perfidia conturbabat. Tranquillitas, ubi solus Petrus habitat, tempestas, ubi Judas adjungitur; licèt esset Petrus firmus suis meritis, perturbatur tamen criminibus Proditoris. Unius igitur delicto cunctorum merita*

quatiuntur. Grande navigium unicum Jonæ peccatum gravabat, & ob unius culpam; de ſingulorum vita conclamabatur. Recogitent ſinguli, ob ſua peccata cunctos affligi, & ſinguli ea corrigendo, publicas calamitates temperabunt. Singuli ſanè ad cumulum peccatorum, ob quæ omnes vapulamus, pertinemus. Recogitet Juvenis ſe eò pertinere ob intolerabilem morum levitatem; ſenex ob inſanam habendi cupiditatem; Nobilis, ob licentioſam vitæ rationem; Magiſtratus ob exiguum æquitatis zelum; Religioſus, ob modicum diſciplinæ religioſæ fervorem; hic, ob diabolicā ambitionem; ille, ob infernalem avaritiam, hic ob ſatanicam vindicandi libidinem; ille, ob brutalem

 ſen-

sensualitatem, alius demum, & cum eo potissima pars, ob exiguũ Dei cultum, rerúmque divinarum venerationem. Neque excusationi, aut solatio locus erit, si existimemus præterlapsis temporibus Hispaniam parium delictorum ream secundissimis tamen rerum eventibus floruisse. Neque illud in partem solatij venire poterit; alia quoque regna non minori peccatorum fæce abundare. Imprimis enim dico: valde dubitari posse, an æqualia præteritorum annorum fuerint delicta, faciliúsque in eam ibo sententiam, ut dicam: minora, quàm æqualia fuisse. At, demus majora fuisse; quia tamen Antecessorum nostrorum vestigijs insistendo, mensura delictorum nostrorum adimpleta est,

& ad ſummum malitia noſtra pervenit, idcirco Juſtitiæ quoque Divinæ terminus advenit, & ſupergreſſæ ſunt calamitates pariter ac iniquitates caput noſtrum. Tempora quoque Abrahami, non minùs ac tempora Joſue peccatoribus abundabant; non illa tamen, ſed iſta DEI vindictam provocârunt; quòd ſcilicet tum primùm ſcelerum menſura eſſet conſummata. Tamdiu quippe DEUS Reipublicæ alicujus corpus, per peccatorum ſeriem conjunctum conſervat, quamdiu tolerare decrevit. Et quantumvis non creſcant delicta, ſupremam tamen Divinæ vindictæ executionem accerſunt, dum cumulantur. Non mala duntaxat eſt magnitudo, ſed & multitudo delictorum. Hinc

eſt;

est, quòd ultrices Divinæ suæ vindictæ flammas Damasco, Gazæ, aliísque Rebuspublicis minatus sit Dominus, ubi del ctorum mensuram consummârint. quantumcunque delictis Patrum nostrorum majora non forent, imò fortasse minora, nostra peccata, sufficiunt ad vindictam Divinam extremùm irritandam, dum illa continuantur. Fundamentis, quæ majores nostri posuerunt, superædificamus, atque ità delictis delicta cumulamus unde contra Judæos amarè questus Salvator; væ vobis, dixit, qui ædificatis sepulchra Prophetarum, sed quos majores vestri occideruut. Profectò manifestum facitis, quòd eorũ operibus consentiatis; quis autem major est consensus, quàm pecca-

ta præterita approbare, dum illa jam imitamur. Hinc ſubjungit Dominus, quòd ſatisfacere debeant pro omnibus homicidis majorum ſuorum, à primo uſque ad ultimum, & ab Abel uſque ad Zachariam.

Dico 2. nihil noſtrâ intereſſe, ſi fors æqualiter, imò & magìs delinquant aliæ Nationes. Neque enim de majori cogitat, qui aliunde magno premitur dolore. Ad nos pœna pertinet, quam patimur, & ſuo tempore ad illos tranſibit. Accedit; quòd filios proprios magìs, quàm extraneos Pater caſtiget. Unde mirum eſſe non debet, nos, tanquam populum ſuum, ſeveriùs, quàm eos, qui ſunt extra Eccleſiam, à DEO puniri.

§. VII.

§. VII.

Peccata contra Religionem Rebuspublicis perquam perniciosa esse.

UT in specie ea peccata, quibus maximè Vindicta Divina provocari potuit in medium adducamus; ea verò, quæ occulta esse possunt, seponamus; adverto, publica ejus generis esse, quæ plurimùm iram divinam excitant, atque, quemadmodum notant Politici, imperia & regna pertrahunt in ruinam. Talia sunt, quæ imprimìs Religioni, æquitati, castitati, & temperantiæ adversantur. Religione enim Deo unimur, Justitiâ Politica & Status Publicus, pudicitiâ & temperantiâ, vita cujusvis

&

& bona Oeconomia in vigore conſervatur. Contrà, oppoſitis vitijs à DEO ſeparamur, Respublicæ perturbantur, & familiæ pervertuntur. Hæc omnia non poſſunt non ingentem metum incutere; quòd in hiſce noſtris regnis non in infimo gradu reperiantur. Licèt enim, quæ ſingularis DEI in nos eſt gratia, ab hæreſi immunes ſimus, eſt tamen, quòd tot contra Religionem delicta, tantam in templis, & locis ſacris irreverentiam, tantam perjuriorum frequentiam, non mediocriter deploremus. Oraculum illud Sibaritis olim reſponſum, Hiſpanis dictum eſſe videtur:

Semper eris felix venerans gens numina Divûm
Donec plùs ſuperos fueris venerata; virû quàm
Intima ſeditio, tunc & tibi prælia ſurgent.

Unde

Unde aliud, quàm Reipublicæ ruina ſequi non poteſt: nam ùt dixit Sineſius (de Regno) *Pietas erga DEUM certa baſis Regni eſt, ac fundamentum.* Videmus in viſceribus Hiſpaniæ omnia bello, ſeditionibus in Catalaunia, perduellionibus in Luſitania flagrare; ſed videmus exiguam pariter, tam in peccandi licentia, quàm nullo prope templorum cultu, erga DEUM reverentiam vigere.

Nihil hìc recenſebo de ijs, quæ ſacrâ Natalis Dominici nocte fieri conſveverunt. Id, profectò ſolùm, quod unico anno accidit, par fuit toti regno evertendo. Neque ea memorabo, quæ die Cœnæ Domini, eadémque nocte devotionis occaſione perpetrantur. Solenni quovis feſto multis in locis

jam ità usu quasi receptum est, ut loca sacra ad exponendas levitatis merces, ac tractanda & concludenda peccandi negotia, velut fora frequententur. Quæ res rectæ rationi ità adversatur, ut vel ipsimet Ethnici, quamvis lumine fidei destituti, pluribus remedijs adhibitis vetitam esse voluerint. Confabulationes in templis, ùt refert Plutarchus l. 28. dum sacrificia fierent summo cum rigore, sinè cujusvis personæ respectu castigabantur, atque ità Romani duos Consules, quòd in templo confabulati fuissent, ab officio removerunt. Tullio teste de Div. lib. 1, nè quis in templis tumultus, aut ulla fieret sermocinatio, satellites adhibebantur. Valerius maximus grandem illam Romanorum felicita-

citatem, magnæ illi, in parvis quoque, erga loca, résque sacras venerationi refert in acceptis. Ægyptij præ veneratione templa, non nisì calceis sepositis ingrediebātur:

Nos verò fide tam purâ imbuti veráque Religione exculti, omnem erga Templa exuimus venerationem; quâ quidem irreverentiâ summum Numen magnopere irritamus. Nusquam in Evangelio Christus irâ commotus fuisse legitur, quàm contra Templi profanatores. Hinc cùm die quodam festo, in Templi porticu, loco minùs sacro, pro sacrificijs boves & oves venderentur; ità excanduit, ut facto ex funiculis flagello in multorum millium frequentia mensas everteret, numos dispergeret, ementésque æquè ac ven-

vendentes in fugam profligaret. Quod si mansvetus cetéroquin agnus Leonem induit, quòd aliquis Templi Judaici aditus, sum̃o cum honore non tractaretur; quid eum facturum censemus, ubi Templa ipsa Christianorum sum̃a cum irreverentia profanantur? Et quid tandem in Templo illo Judaico fuisse dicamus, ob quod tantam Christus exegerit venerationem? Non fuit illic certò vel unica DEI imago, aut Arca testamenti, aut Propitiatorium, teste Josepho Hebræo: quia tamen geminæ inibi tabulæ, quibus lex, nè quidem ab ipso DEO, sed à Moyse inscripta fuit, olim servabantur; id tanto honore & æstimatione Christus coli volebat, ut nè in Templi porticibus quidem, licita

ceteroqnin, & ad Templi sacrificia necessaria passus sit tractari. Nunc verò, quo pacto Christus non excandescat, dum non in aditu templi & porticu, sed vel ad ipsius sacri Altaris pedem, ubi non inanimatæ quædam tabulæ, sed vivum vivi DEI Filij corpus verè & realiter conservatur, non licita, sed illicita cum grandi debitæ reverentiæ dispendio tractantur? Unde mirum non esse debet, Reges ad ejusmodi in templis nefanda oscitantes, severissimè à DEO castigari. Certè, terræ sanctæ Regnum, quod Balduini tenuerunt, quemadmodum teste Surio, S. Christinæ mirabili Christus revelavit, ob exiguum Christianorum erga loca sacra respectum & cultum, est eversum.

Com-

Compertum habemus, multa gravia peccata Regno Cypri DEUM ignovisse, quòd inde sacer Templorum cultus non exularet. Cultum insuper idolorũ in montibus & sylvis Regno Judææ DEUS dissimulavit. At ubi debitus Templo sancto honor defecit, cum Templo pariter defecit & Regnũ. Unde illud 3. Reg. 9. v. 7. DEUS ad Salomonem: *Templum, quod sanctificavi Nomini meo, projiciam à conspectu meo; eritq; Israël in proverbium, & in fabulam cunctis populis.*

Habemus sanè, quod metuamus, ut nè ex nobis, quas nostro jam tempore patimur, calamitates, ob paria delicta infligantur. Cuncti ergo in gloriam zelúmque domûs DEI incumbamus; ut abomi-

minationibus ejusmodi invigi-gilent personæ publicæ, hæc una eas cura fatiget. Hæc una, inquã cura fatiget privatos, ut defectus suos emendent. Neque enim DEUS ejusmodi publica delicta dissimulare, sed calamitatibus, malísque publicis castigare, ùt vidimus, consvevit.

Pompejum magnum, tamdiu rebus prosperis usum fuisse legimus, quamdiu suum Templo Solymæo cultum tribuebat; hoc deficiente, eò infelicitatis redactus est, ut à vilissima gente, cum immortali Nominis sui infamia trucidaretur.

Quod minor rebus sacris cultus exhibeatur, Oratoriorum, ùt vocant, in ædibus privatis multitudini, tribuamus oportet. Unde S. Ca-

S. Carolus Borromæus induci non potuit, ut ejusmodi Oratorium Mediolanensiũ gubernatori concederetur. Quin & ipse Christus per famulum suum Mariam de Aliofrin moneri fecit Archi-Episcopum Tolosanum, nè sineret ullo pacto privatis in ædibus sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrari; tantus enim hac in parte invaluerat abusus, ut cum exigua in res sacras veneratione, Missas juxta ipsos lectos voluerint celebrari.

Aliud peccatorum genus in quibus summi DEI honor, & sacrosanctum Nomen ejus mirum in modum læditur, in perjurijs, & blasphemijs consistit. Quæ enormis profectò in tremendam illam ac summam Majestatem injuria, non pœnis duntaxat plectitur, sed

&

& delictis, in quantum nimirum in pœnam à DEO permittitur, ut ubi abundat numerus perjuriorũ, ibi quoque superabundet multitudo peccatorum. Unde ipse Spiritus sanctus hominem pejerantem, iniquitate replendum asseveravit. Pœnæ, quas propter isthæc peccata DEUS Regnis infligit, ejusmodi profectò sunt, ut attonitum meritò reddere possint audientem.

Dedit Hungaria evidens rei hujus argumentum, quando Rex Vladislaus pactum cum Amurate, per sacrosanctum JESU Christi nomen Pacis fœdus, ex falsa statûs ratione dissolvit, & validissimo Exercitu Ditiones Amuratis inundavit. Hic, ubi improviso Hungarorum insultu se imparem armis præventum, & ingenti occumbe-

re strage videret, rupti fæderis memor, confectæ cum Vladislao Pacis tabulas è sinu depromit, furibundúsque adversùs cœlum conversus, quid hoc est Christe? exclamat, itáne fidem servant Christiani? si, ùt ajunt, eorum DEUS es, proh! eccur tantam per ruptũ fædus illatam Nomini tuo injuriam non ulciſceris? Dixit, & comitante ultrice DEI justitiâ, facto in Vladislaum impetu, vicit, ac prostrato miserùm Vladislao, dissipatóque Hungarorum Exercitu, gloriosè triumphavit. Quid non futurum Regno nostro metuamus? ubi perjurijs omnia personant, tantæque Divino Nomini injuriæ inferuntur?

E maximis quoque, quæ in Sacro codice reperiuntur, vindi-

ctæ Divinæ argumentis illud est, quod dedit Rex Sedecias. Hic ab Exercitu Regis Babylonis, Hierosolymis longâ obsidione vallatus, ut sibi suísque consuleret, intempestâ nocte ad fugam se convertit. Verùm persecutus est eum Chaldæorum Exercitus, & apprehenderunt Sedeciam in deserto,& adduxerunt eum ad Regem Babylonis, & jugulavit Rex filios Sedeciæ in oculis ejus, sed & omnes Principes Judæ occîdit. Oculato etiamnum relicto Sedeciâ, ut luctuosæ hujus tragœdiæ posset esse spectator. Pòst paulùm enim oculis privatum, vinculísque compeditum, ad ultimas incitas redegit : omnia in prædam cesserunt, Domus Regis, & omnes domus Jerusalem incendio conflagrâ-

grârunt; ſubditi autem ejus omnes Babylonem adducti ſunt in ſervitutem. Horribilis hæc tragædia Deo tragædo acta eſt, quòd Sedecias datam Regi Babyloniæ fidem, ac interpoſitâ Dei autoritate confirmatam, contra jus, fásque omne violârit. Tantus honoris ſui in Deo eſt zelus, ut fidem nomine ſuo munitam, quantumvis Infidelibus ac Idololatris juratā ſartam tamen tectámque velit conſervari. Habemus ſanè, quod ingemiſcamus, tot conditas de juramentis Conſtitutiones, & ab ipſo cœlo, dum primùm emanarent approbatas, parum admodū profeciſſe, atque exiguo vix temporis ſpatio perdurâſſe. Atque inde fortaſſis eſt, ut inſtabilis earum vigor, nullam felicitatis noſtræ ſtabili-

bili-

bilitatem mereatur. Non pauci, proh dolor! ex inferioribus Ministri, ubi clementiæ locus est, sunt rigidi contra intentionem sui Regis executores; ubi verò propter perjuria morte mulctanda, causa DEI, Ejúsq; honoris agitur, molles admodum atque remissi.

Neglectus talis pragmaticæ in gloriam DEI summè vergentis excusari sanè ex eo non potest, quòd sciamus nonnullos ab ijs, qui inimicos suos ultum ibant, falsò perjurij insimulatos fuisse. Nulla quippe tam bona res est, quâ non abuti perversus quisque possit. ùt optimè l. 54. ad public. notat Augustinus: *absit*, inquit, *ut ea, quæ propter bonum ac licitum facimus, aut habemus, si quid per hæc præter nostram voluntatem cuique mali accide-*

rit, nobis imputetur; alioquin nec ferramenta domestica, & agrestia sunt habenda, nè quis eis, vel se, vel alterum interimat; nec arbor, aut restis, nè quis se malè suspendat; nec fenestra facienda est, nè se quisquam per hanc præcipitet. quid plura commemorem? cùm ea commemorando finire non possem. Quid enim est in usu hominum bono & licito, unde non possit etiam pernicies irrogari. Non debet rigida de juramentis videri pragmatica; nam & apud Ægyptios receptum fuit, perjuros mortis pœnâ mulctare, & apud Indos constitutum, ejusmodi reos, manuum pedúmque digitis mutilare. S. quoque Ludovicus Galliæ Rex, labra illius qui blasphemū quodpiam verbum (quod inter perjuria usque quaque pronum est) pro-

protuliſſet; candenti ferro uſtulari præcepit.

Ingens præterea Religionis defectus, Ignorantia plurimorum Fidei myſteriorum cenſeri poteſt, atque eo quidem in loco, in Hiſpania nimirum, ubi ſalvificæ fidei doctrinam apprimè florere opinamur. Quot enim eorum eſſe exiſtimamus, qui, quisnam ſit Chriſtus, quot ſint in Trinitate Perſonæ, aut quomodo ſint unus DEUS, aliáque ad ſalutem neceſſaria, penitùs ignorant? quot rurſus eorum? qui neſciunt, quis ſub ſanctiſſimæ Evchariſtiæ ſpeciebus adorandus proponatur? quot denique in ſacram Exomologeſim irrepunt errores? Raræ Confeſſiones ſunt bonæ, quæ ruri fiunt, & vel doloris, firmíque propoſiti, vel integri-

tatis necessariæ defectu, magna sacrilegia committuntur. Mirum profectò non est, ob tantam in re tanti momenti negligentiam, alia loca expilata & vastata, alia vehementer afflicta; omnia penè extremis calamitatibus oppressa esse.

Magnâ sanè, quod locorum imprimìs Pastoribus incumbit, hìc opus est correctione. Verùm in Regem, & Principem nostrum pœna tandem detorquetur, ubi Regnum ob suam culpam devastatur.

Rex Josias Divinæ legis Ignorantiæ illacrymans, atque pœnam, quæ idcirco Regno suo imminere poterat, exhorrescens Paralyp. 2. v. 34. sic legitur fuisse lamentatus: *Magnus furor Domini stillavit super nos.* Quare de remedio anxius; con-

convocatis omnibus, arrepto volumine ipse Divinæ legis verba prælegit, ut nemo necessariam ad salutem doctrinam ignoraret; lulentum sanè zeli exemplum præbens, ad rudes principijs salutis imbuendos. Tanti hoc esse momenti censuit; & majoris sanè est, quàm à multis æstimetur.

Non leve etiam Religioni vulnus infligitur, si Ecclesiarum, ac Ecclesiasticarum Im̃unitatum privilegia violentur. Síque contra Pontificis intentionem onerentur. Tametsi rationi consentaneum sit, ut status Ecclesiasticus Statui quoque Publico, quemadmodum fieri consvevit, auxilietur. Multis Regnis perniciosum fuit in hoc deliquisse. Agobardus Lugdunensis (contra Simon:) expendens

causam,quamobrem Christus voluerit, ut tributum non ex eo, quod portabant Apostoli, solveretur; sed quod in quopiam pisce reperiretur? quia *Dominici loculi*, inquit *in pauperes & in dies festos expendebantur, & cùm exegisset necessitas, in alimenta Discipulorum Domini; noluisse Dominum rem pauperum in publicam exactionem mittere, sed omnipotenti virtute, quod utique pauperum non erat, de mari tollere & fisco reddere voluisse; & formam dare Discipulis, quam Ecclesiæ commendarent.*

§. VIII.

Peccatis Injustitiæ, Regna everti.

VEreor sanè,ut nè pauciora recensitis contra Justitiam peccata

cata committantur, sinè qua nulla Regni felicitas constare potest. Hinc eam Plato in suo de Repub. libro, fontem prosperitatis appellat, sinè qua Imperiorum machina nequeat gubernari. Unde Plutarchus lib. de doct. Princip. celebre veterum referens effatum; *scripserunt*, inquit, *& docuerunt Philosophi, absque Justitia Principatum gerere, nec Jovem quidem ipsum posse.* Justitiâ Romani floruerunt, & hâc Imperium non modò conservârunt, sed ultra limites quoque suos extenderunt. Faliscos non potentiâ, sed Justitiâ Roma subegit. Dum enim Justitiam, quam erga hostes quoque suos Romani exercebant viderent: ipsimet illis portas urbis suæ recluserunt, felices se

fore rati, si tam justæ & æquæ Nationi subessent.

Neque Rex Pyrrhus armis Romanorum adactus est, ut pacis fœdus cum ijs pacisceretur, sed Justitiæ exemplo. Id habet in regno præclarissima hæc virtutum prærogativa, ut hostes sibi suos vel devinciat, vel vincat.; Incolas verò ; eorúmque fortunas tueatur; contrà injústitia irritet, concitet, & perturbet universa. Non est, quòd tantarum calamitatum causam indagemus, dum tot homicidia, tot furta, tot fraudes, tot usuras exerceri, dum tantillos, quod æquitati consentaneum, procurare : dum tantos commodo suo studere, & quàm plurimos videamus. Pauci reperiuntur, qui bonum publicum, debitúmque suo Regi obsequium

quium privatæ suæ præferant utilitati; unde sum̄æ injuriæ fons scaturit, & origo. Quemadmodum enim, ùt inquit Lactantius (lib. 1. de Div. Just. c. 4.) *à quibus abest studium lucri, abest etiam voluntas peccandi, & causa fallendi*; ità etiam à quibus studium lucri non abest, neque voluntas peccandi abest, neque causa fallendi. At quantumvis perniciosas sanè Rebuspub: injurias videamus, eæ tamen, quæ à militibus, præsertim ubi impunes fuerint, inferuntur, multò perniciosissimæ sunt censendæ. Inde ruinæ suæ principium habet disciplina militaris, neque enim illatæ ab hoc hominum genere injuriæ, vel inde duntaxat sunt violentæ, quod vi armatáque manu inferantur, majoríque amicis

ſæpe,quàm inimicis ſint detrimento; ſed quòd petulanti prædandi ratione, ad obtinendam victoriam coram oculis Divinis inhabiles, & indigni reddantur. Quin & fieri poteſt, ut quidquid Clementiſſimus Rex noſter Pietate Domûs ſuæ ædificârit, intolerabili fæcis ejusmodi violentiâ collabaſcat in ruinam. Fit proinde, ut delictorum ejusmodi vindex DEus detriumphari ab hoſtibus copias noſtras permittat, quòd ad juſti belli rationes ſe non conformârint.

Quæ juſtior cauſa belli eſſe potuit, quàm dum præcipiente Domino, undecim tribus Iſraël ad caſtigandam Benjamitarum inſolentiam conſurrexerunt? binis tamen vicibus quadraginta millibus hominum internecione deletis,

victi ceciderunt. Neque enim DEO placet, vel justam etiam causam per sceleratos homines tueri. Quæ justior belli causa esse possit, quàm Ecclesiæ ipsius defensio? Nihilominus Dionysius Carthusianus ep. ad Cath. parænet. de militibus loquens, ità profatur: *Dominus & Salvator noster unigenitus Patris æterni sacratissimam Fidem, & immaculatissimam Evangelicam legem, quam primò proprio ore, deinde per sanctos Apostolos in hoc mundo docuit, per vitiosos & impios Christianos, fidei inimicos, & Evangelicæ legi rebelles defendere, atque diffundere non dignatur.*

Ut Auspice DEO Rex Juda Amasias victoriâ potiretur; præcepit Dominus centum millia pugnatorum, quorum opera mala erant

erant, dimitti; quos maximis impensis Rex Regno suo jussit exulare. Neque enim volebat DEUS, à scelerato pariter ac numeroso, sed à pauxillo potiùs, & vitijs perpurgato Exercitu, Victoriam reportari. Non minuit Exercitûs vires abscissa multitudo centū millium Virorum, sed magìs intendit paucitas delictorum; quódque viribus eorum sperari poterat, hoc desperari peccatis. Bene perpendendū est, quod hâc occasione Regi Propheta, DEI nomine, nunciavit: *quod si putas inquit, in robore exercitûs bella consistere, superari te faciet DEUS ab hostibus.* Dum Seron Princeps Exercitûs Syriæ Judæ Machabæo bellum inferret 1. Mach. 3. *ascenderunt cum eo castra impiorum fortes auxiliarij, & exivit Judas obviam*

illi

illi cum paucis quidem, ſed probis; &licèt inediâ pene confecti eſſent, innumerabilibus tamen inimicis ſuis prævaluerunt. Non poteſt tantùm multitudo improborum quantùm paucitas diſciplinatorũ. Illis diſciplina deficit, & malitia ſuperabundat, ſinè illa vanæ ſunt armorum vires, hâc divina ultio provocatur. Neque ab inſolentia impiorum, præter pœnam quidpiam expectari poteſt. Bene dixit Nicephorus Gregora Hiſt: Rom: lib. 6. *Exercitus, quem injuria, & audacia antecedit, plerumque cladem, & interitum ominatur.* Joannes tertius Luſitaniæ Rex,ut Regnum illud à ſceleſtis hominibus perpurgaret, plurimos militiæ ſuæ auctoratos in Indias, eorum illic operâ uſurus, ablegavit. Sed cùm Deus Regem

malis adversùs paucos bonos bellum gerere. Et interrogatus Socrates: quæ Civitas bene munita foret? respondit: *quæ bonos viros habet.* Ingens error eſt; nimiùm militibus indulgere, neque plectere eorum exceſſus. Summa etenim injuſtitia eſt, liberum idcirco ijs relinquere inferendarum injuriarū exercitium, quòd hâc tempeſtate eorum operâ Rex utatur: fallimur hâc opinione; neque enim utiles erunt ſuæ Majeſtati improbi milites, qui neque nova Eidem regna occupabunt, neque illa, quæ poſſidet, conſervabunt; ſed, poſt factas graves expenſas malum finem cum ſūmo Monarchiæ detrimento ſortientur.

Victorias Tamerlanis, ſunt qui exiſtiment, Juſtitiæ deberi, quòd

quòd ea potissimùm in Exercitibus ejus sarta tectáque conservaretur, qui quamvis, quos sol unquam vidit, numerosissimi essent, omnibus tamen ad victum amictúmque necessarijs abundabant. Exciti quippe è longinquis etiam regionibns ruricolæ, opifices, Mercatores, Annonarij, quidquid desiderabatur, pro accurata pretij solutione procurabant. Neque enim militum vel ullus erat, qui vel solvendo non esset, vel rapinâ victitâsset. Hinc cùm nonnemo lactis quidpiam sinè pretio ab egena muliere accepisset; eum Tartarus mox eviscerari, & quod epotârat, lac inde depromi imperavit, ùt refertur in Theatro Vitæ Hum. l. 8.

Hoc stante Justitiæ rigore Exercitus illi, non quietem modò inter

ter suos, sed victorias quoque ab hostibus reportârunt. Deus enim exercitam etiam ab Infidelibus Justitiam favoribus suis cumulat, & coronat.

Noverunt id probè Poloni, qui quantumvis omnes sub signis Christi Christiani militarent; Ethnicorum tamen quempiam, cui nomen Jagello, ob raram Justitiæ ejus famam, ad solium Regni evexerunt, existimantes plùs rebus eorum prosperis accessurum, ubi Justitia sinè Fide sui Capitis viguerit; quàm Fides sinè Principis æquitate: quo factum, ut secundissimis rerum successibus regnum floreret, tandemque Rex ipse Religioni Christianæ manus daret. Fulg. lib. 2. c 5. Alphonsus Rex noster, dictus Imperator, immorta-

talem nomini ſuo gloriam, regníſque ſummam felicitatem comparavit, quòd Juſtitiam ſibi præ reliquis haberet commendatam. Cui, cùm ad aures perveniſſet, gregariorum ſuorum quempiam induci non poſſe, ut rem ruricolæ furto ſublatam reſtitueret, ipſe Toleto mentito veſtitu clàm abijt, ut juxta Juſtitiæ leges animadverteret in raptorem. Apprehensúmque ex improviſo ante domûs ſuæ januam laqueo enecari curavit. Hâc ratione unius morte, multorum vitam, imò & ſuam, Regníque felicitatem conſervavit.

Plenum eſt horroris, quod Deus Regi Achab minatus fuerat, quòd juſtitiam contra Benadad, ùt par erat, non adminiſtraret. *Quia dimiſiſti*, inquit Dominus 3. Reg,

Reg. 20. 42. *Virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro animu ejus, & populus tuus pro populo ejus.* Gravis profectò DEI pœna, sed justa: Ut nimirum in eum pœna redundet, qui injustitiam, cùm potuerit, in reò non sit executus. Væ nobis! si eò infelicitatis redigeremur, ut delicta non plecterentur. Nam, ùt dixit Politicorum quispiam (in axiom. Polit.) Respublicæ non tam peccatis, & hominum lapsibus collabascunt, quã delinquentium impunitate.

Non aliam ob causam Tribus Benjamin in nihilum est redacta, quàm quòd ij, qui Virgini cuipiam vim intulissent, pro condigno non plecterentur.

Lacedæmones pari ratione, quòd in Puellarum violatores non anim-

animadvertissent, eodem in loco turpiter victi occubuêre; atque ità Respublica tam nobilis gloriæ suæ pariter ac libertatis finem invenit.

Neqùe Græcia contra Trojam ad ultimum usque ejus excidium alia ex ratione conjuravit, quàm quod nefandum à Paride commissum raptum plectere detrectaret.

Italia infestis Gallorum armis vexata, ipsáque Roma in cineres est redacta, quòd Justitia contra juvenem, qui Conjugi Arontis Hetrusci vim fecerat, non administraretur.

Optimum ad accidendas gregariorum injurias remedium foret accurata pensio stipendiorum quâ disciplina militatis conservari, hâc

verò

verò victoriæ poterunt reportari. Quibus enim magìs quàm ijs opitulandum, qui relictis laribus, fortunísque omnibus, pro Rege & Patria vitam sangvinémque profundendum obtulerunt? Nulla sanè melior est, quàm quæ militibus impenditur gratitudo.

Injuria per homicidia illata, tantò ceteris major est, quantò magìs Divinam irritat ultionem. Sed proh dolor! tantâ multis in locis facilitate homines occiduntur, quantâ fæmininæ in uxores ducuntur. Plurima homicidia evitarentur, si ipse quoque pugionum abusus puniretur.

Præclarum hâc in re exemplum præbuit Rex noster Philippus secundûs, qui sero vespere in Sylva Segoviensi Cursorem in

Flandriam expediturus, duos aurigarum ſuorum à verbis ad rixas, à rixis ad facta deveniſſe, è feneſtra obſervavit. Alter alterum gladio vulnerârat: Rex ubi è nemore redux, rhedámque conſcendens, animadvertit, reum illi inſidere, ad D. Jacobum de Cordova converſus; quâ inquit, factum eſt ratione, quòd hic homo in vincula non ſit conjectus? Siquidem, ſubjungit ille, nemo in promtu erat, cui rhedæ cura committi poſſet. Bene eſt, repoſuit illi Regia Majeſtas, in vincula & compedes confeſtim conjiciatur, mihi verò rhedæ locô caballus adducatur. Dictum, factum: neque enim magnus Rex ille legibus Juſtitiæ propriam commoditatem anteponere volebat. Si homicidia nummis
non

ion redimeretur; non esset dubio procul tanta eorundem frequentia. Isabella Regina Catholica, in magna licèt necessitate constituta, magnam tamen pecuniæ summam oblatam admittere noluit, ut reo delictum condonaret.

Ipse Rex Philippus, quantumvis magnâ pecuniæ vi oblatâ, induci non potuit, ut graviorum lapsuum reus quispiam debitâ pœnâ solveretur; asserens, pœnas tam divitibus, quàm pauperibus scriptas esse, neque tribunalia adinstar telæ aranearum esse debere, quæ muscis solùm irretiendis insidientur, feles autem liberè transire permittunt. Quâ quidem Justitiæ administratione, illud effecit, ut nihil metuerent innocentes, nocentes verò haberent, quod for-

midarent. Æquâ Justitiæ bilance,& divitum pariter ac pauperum delicta ponderabat.

Inter revelationes, quas de salute Regis hujus nonnuli Autores retulerunt, hæc quoque non vana videri potest, quod cœlum ingredienti sanctorum quispiam, evaginato gladio conspicuus obviam sese obtulerit, in signum Justitiæ in terris rectè administratæ; quæque imarcescibili æternæ gloriæ corollâ mereatur coronari. Ad hanc Regis æquitatem, suam quoq; æquitatis normam Ministri conformârunt ; ut nè ab egena plebe quidpiam iniquè postularent, néve eos, quibus curta domi supellex penitùs emungerēt,quod profectò nisì sacro-sanctè servaretur, sangvineis propè lacrymis foret deflendum. Sed

Sed advertendũ est, nimìs quàm pronum esse, ut ocasione Justitiæ exercendæ, sæpenumero in eam delinquatur; dum causæ litésque per grandia temporum intervalla protrahuntur. Quibus quidem motis non raró Regis, nonnunquã etiam totius Regni negotia implicabantur.

Defectum Justitiæ defectus quoque veritatis & sinceritatis comitatur. Hinc neque hac in parte deest, quòd suo remedio curetur. Adsit veritas & sinceritas, & magnis damnis consuletur. Rectè procedent omnia, ubi negotia sinè fallacijs tractabuntur. Non habet solidũ fundamentum, quidquid veritati non innititur. Pythagoras apud Ælianum lib. 12. c. 9. ajebat: pulcherrima duo, quæ

Deo magìs conformarent; inter homines reperiri, alterum: benefacere; alterum: agere cum Veritate. Non est spernendum tantum bonum, quod nervus est humanarum actionum, fundamentum Justitiæ simul, ac Imperiorũ.

In celebri illa, coram Persarũ Rege, disceptatione fuit non nemo, qui Regem in orbe fortissimum esse existimaret; prævaluit tamen sententia illius, qui veritatem omnibus, ipso quoque Rege, fortiorem asserebat. Namque & ipsis Regibus nè fidem amittant, opus est Veritate. Non tutè Principis subsistet solium, si Veritate & Justitiâ non firmetur.

Advertunt Politicorum nonnulli, Alexandri Magni fortunas tum primùm collapsas, imò & ipsum

psum improvisâ morte obrutum cùm datam Indorum quibusdam fidem, illæsam non servaret. Cùm contrà, ubi Veritate & Sinceritate omnia condiebat, majorem se toto orbe, Dominum & Victorem non videret. Non est, quòd simulationi, fraudibus, & fucis multùm fidamus, cùm fieri non possit, ut regno non cedant in ruinam.

Ipse S. Spiritus, qui crebras Imperiorum vicissitudines eversionésque injustitijs tribuit, idem ob varias fieri fraudes asseverat.

Tam potens, tantarúmq; virium est Veritas, ut conservatrix, nutrixque Rerumpublicarum meritò censeatur. *Tantam semper potentiam Veritas habuit*, inquit Cicero in Vatin. *ut nullis machinis, aut*

cujusquam hominis ingenio, aut arte subverti potuerit, & licet in caussis nullum Patronum aut defensorem obtineat, tamen per se ipsa defenditur.

§. IX.

Peccatum Impudicitiæ ad Monarchiarum eversiones ruinas plurimùm contulisse.

PEccata sensualitatis, aliáque Temperantiæ moderationíq; imprimìs adversantia non minus malis nostris addiderunt incrementum. Illa enim & pabulum vitijs plurimùm subministrant; & castigatos mores vel maximè corrumpunt; neque ab ijs præter Rerumpublicarum exitium, aliud potest expectari. Nescio profectò, an Imperij alicujus vel diminutio, vel

vel ruina ortum duxerit aliunde. Hispaniæ eversionem huic certè peccato tribuit Salvianus, & Bonifacius Martyr. Et in præsentibus calamitatibus idem nobis accidisse opinor, quod Romanis declinante illorum Monarchiâ evenisse dicit S. Augustinus lib. 2. de Civ. c. 33. dum enim Imperium eorum, propter ejusmodi peccata, propiùs semper in ruinam inclinaret, ità ut exitio illi, dissiti etiam longè populi illacrymarentur; in ipsa tamen Aula Romana genio liberè indulgebant; & lascivis cupedijs magìs semper litabatur. Unde exclamat Divus: *O mentes amantes! quis est hic tantus non error, sed furor, ut exitium vestrum, sicut audivimus, plangentibus Orientalibus populis, & maximis Civitatibus*

bus

bus in remotissimis terris publicum luctum, mœrorémque ducentibus, vos theatra quæreretis, intraretis, impleretis, & multò insaniora, quàm fuerant antè, faceretis. Et paulò pòst adjungit: *neque enim in vestra securitate pacatam Rempublicam, sed luxuriam quæritis impunitam, qui depravari nec rebus prosperis; nec corrigi potuistis adversis. Volebat vos ille Scipio terreri ab hoste, nè in luxuriam defluereretis; vos nec contriti ab hoste luxuriam repressistis; perdidistis utilitatem calamitatis, & miseri facti estis, & pessimi permansistis.*

Nescio quid portendat, quòd dum in Belgio, Germania, & Italia, nostras patimur jacturas, in ipsis tamen Monarchiæ hujus visceribus, scelera non perseverent modò, sed augeantur, quantò a-

troci-

trociores pœnæ infliguntur, tantò majores culpæ cumulantur. Quomodo fieri istud contendam, quòd fieri possimus prosperitate perversi, & adversitate non corrigamur? ingens est malum, tantùm tantis nos calamitatibus affligi, neque tamen corrigi posse; perdimus utilitatem calamitatis, quæ nobis à manu DEI, ut commonefaciat, immittitur, neque tamen nos ab hoc onere & dolore liberamus. Magnum sanè malum est, pati sinè fructu, affligi sinè emendatione; mala tolerare, & à malo tamen non abstinere. Meritò lamentationem suam repetere poterit S. Hieronymus Ep. 11. ad Gaud. *Proh. nefas! orbis terrarum ruit, in nobis peccata non ruunt!* Persvasum nobis sit, verissimum esse,

quod censebat Scipio, ùt refert S. Augustinus, *felicem non esse Rempublicam stantibus mænibus, ruentibus moribus.* Difficile est crescere, & florere felicitatem, ubi ampliùs radicantur vitia, nec priora exstirpantur; atque imprimìs quidem illa sensualitatis, deliciarum, & commoditatum, quæ omnibus, quotquot fuerant, Imperijs, ùt Politici adnotârunt, exitio fuerũt. Quos inter Spitneus l. 5. de Tranq. animi, sic ait: *Qui fieri potest, ut Regna, & Respublicæ, in quibus Luxuria & deliciæ vigent, diuturnâ prosperitate fruãtur? Cato Censorius mirabatur, quomodo Civitas, in qua pisciculus cariùs venderetur, quàm bos, diu stare posset? quoniam homines, ajebat Pythagoras, delicijs opimati, & exsaturati, pigri & insolentes fiunt;* hinc

hinc ruina illis impendet; nam molle ocium illos facilè in bellum aut civile, aut cum vicinis impellit; & cùm molles, & effæminatos reddiderit, efficit etiam, ut bellum temerè susceptum malè administrantes, vincantur. Hoc Statua Nabuchodonosoris, illud Monarchiarum simulacrum, indicabat; quæ cùm pedibus è limo formatis sustentaretur, unius lapilli casu est collapsa. Lutum quippe immunditiæ, atque corporalium cupediarum itá qualecunque Imperium disponit, ut pauculis ictibus ruinetur: quemadmodum omnibus Imperijs, quotquot ab Assyrijs ad usq; nostra tempora modicùm perdurârunt, legimus accidisse. Et illa quidem Assyriorum Monarchia per impudicam vitæ

rationẽ, quâ jam inde ab ortu suo assvevit, est collapsa.

Chaldæi quoque inter pellices & Convivia; Persæque, dum mulieribus vel maximè vacarent, ab hostibus sunt superati.

Ipsi etiam Romani Mundi dominium perdiderunt, cùm maximè appetitui impuro fræna laxâssent, ùt advertit Augustinus. Ità Carthago perijt: illúdque semper his vitijs effectum est, ut mundi moles concuteretur. Hinc eleganter cecinit Prudentius: in Hamat:

Hic mirum si membra orbis concussa rotantur.
Si vitijs agitata suis mundana laborat
Machina, si terras luis incentiva fatigat,
Exemplum dat vita hominũ, quo cetera peccent.
Vita hominũ, cui quidquid agit vesania & error
Suppeditant, ut bella fremãt, & fluxa voluptas
Defluat, impuro fervescat ut igne libido.

Ubi

Ubi hoc vitium in animis nostris dominabitur, magnam profectò rerum vicissitudinem possumus ominari. Si impurâ hâc peste contaminabimur, ingens sanè nobis semper calamitas imminebit, cùm dicat Salvianus lib. 7. de Provid: *Et miramur, si miseri, qui tam impuri sumus, si ab hoste viribus vincimur, qui honestate superamur.* Egregium profectò Fabij Maximi fuit stratagema, quòd armis Hannibalem invadere noluerit, sed duntaxat procurare; ut belli curis liber, in Provincia deliciarum ferace, cum Exercitu suo luxuriæ & gulæ deditus, ipse suam, sibi suísque ruinam fabricaret.

Nec Româ, quamdiu militibus in omnem luxuriam effusis abundabat, Numantiam domare potu-

potuit, donec duce Scipione exercitus suos pellicibus, cocis, cupediarijs, aliáque id generis fece perpurgâsset, & hanc unam virium Romanarum corruptelam, impudicitiam nimirum, & illicitas cupedias, sustulisset. Neque aliud est, quod generosa ceteroquin Hispanorum pectora labefactet; metuendum enim est, ut nè vel hâc ipsâ parte à præcelsis facinoribus Majorum nostrorum degeneremus. Quare plurimùm nobis proderit Magistratus Censorius, quô cum ingenti Reipublicæ suæ emolumento utebantur Romani, ad mores reformandos, debitámque moderationẽ conservandam.

Post hæc vitia, aliud sequitur magìs deplorandum. Nimia nimirum impudentia in peccando, ac

ac exigua observantia erga Superiores. Timeo, nè multis applicari possit id, quod ex Seneca refert S. Bonaventura lib. 3. Phar. c. 12. *Mali mala sua, quod malorum ultimū est, amant; tunc autem consummata est infelicitas, ubi turpia non solùm delectant, sed placent; & desinit esse remedio locus, ubi, quæ antea vitia fuerunt, mores fiunt.* Extrema perversitas est, quando in pretio est malitia; quando non solùm liberè aut impunè, sed velut officiosè peccatur. quando, inquam, defectu verecundiæ (quâ magìs, quàm virtute aliâ vitia coërcentur) culpæ infamia in gloriam reputatur. Nam, ùt inquit Seneca: *Multi à rebus vetitis abstinent, magìs peccandi verecundiâ, quàm bonâ voluntate.* Hinc fit, ut absente verecundiâ, omni-

omnium peccatorum licentia inducatur.

Nonnulli ſenſualitate audaciores ſunt, dum ſibi perſvaſum habeat, ejusmodi peccata, aut tam gravia non eſſe, aut ſaltèm faciliùs, quàm ea, quæ ſunt injuſtitiæ dimitti. Arbitrantur ij, magìs rigidam reddendam eſſe de peccatis hominum contra homines, quàm de illis, quæ duntaxat ab homine in DEUM committuntur.

Sed, utut fatuus horum ſit ſenſus, in ſacris certè paginis non legimus majores urbibus, Provincijs, quin & toti orbi pœnas eſſe inflictas, quàm propter carnis delicta. Hæc quippe, non leves quoque injurias in ſeſe comprehendunt, pérque illa, non in DEUM duntaxat, ſed homines etiam peccatur.

catur. Adulteria enim, stupra, raptus & scandala, gravissima cum proximi detrimento sunt peccata. Præterquam, quòd ingens sit error eorum, qui, quòd lascivijs suis in damnum tertij non abutantur, hâc spe, ac præsumtione decepti, faciliùs se Divinæ ultionis veniam consecututos opinantur. Atque hinc accedit, quòd in scelerum voraginem præcipites magìs ferantur. Metum potiùs illis hæc eorum spes incutiat, est necesse. Hâc enim ratione difficilior peccatorum venia, & delicta quodammodo irremissibilia redduntur, qualia ea censentur, quæ in Spiritum sanctum committuntur, cùm ejusdem generis efficiantur.

De peccatis in Spiritum sanctum sacer textus dicit: quòd ne-

que

que in hoc, neque in futuro ſeculo remittentur. Et aſſerunt Theologi, tunc contra Spiritum ſanctum delinqui, quando contra ſpem Divinæ Miſericordiæ, & cum veniæ præſumptione peccatur; adeò ut propterea, quòd veniam ſe meritos opinentur, eâdem indigni magìs reddantur; & quantò faciliorem ſibi remiſſionem pollicentur, tantò reddant difficiliorem.

Fieri etiam poteſt, ut verecundiæ & honeſtatis defectus à luxu veſtitûs oriatur.

Xerxes, ut à Babylonijs ſemel ſubjugatis, omnem ſibi perduellionis metum eximeret, inter alia, quò id impetraret, & illud præcepit; ut veſtitu valde molli multiplici, & undulato uterentur; exiſtimans: depravatis veſtibus, eorum

rum pariter vivendi rationem depravandam.

Non est possibile, quin contra modestiam & temperantiam, nimiâ quoque præsumptione, & arrogantiâ deliquerimus, quâ ceteras Nationes vilipenderamus. Quandoquidem ejusmodi nobis idcirco pœnæ sunt tributæ, quæ potentiam nostram omnino dedecere videntur; Id quod sanè ad humiliandos nos ac plurimùm inservit. Potuisset DEus nos peste, & annonæ caritate castigare, & ità ad agnitionem delictorum perducere sinè humilatione. Sed eam Divina Providentia pœnam delictis nostris inflixit, qua intelligeremus, quòd ipse sit Dominus Exercituum, quódque Victoriæ Regni nostri in Divinam ejus benignitatem,

tem, non in vires, & potentiam nostram sint refundendæ. Id ipsū agnoscendo nos humiliemus. Dani victorias, quas de Anglia reportârunt, viribus suis tribuerunt; quo factum, ut arrogantiâ amiserint, quæ sine fastu gloriosè comparârant.

Tragicus sanè Regis illius Rani casus fuit; nam cùm validissimo Insulam illam Exercitu aggrederetur, cum copijs omnibus repentinò aquis haustus, vitam inibi pariter ac gloriam sepelivit. Revelavítq; Dominus noster S. Eduardo, nimiam fastuosi Regis illius arrogantiam hâc à se pœnâ punitam fuisse.

Habemus profectò, quamobrem peccatum istud cane & angve pejus fugiamus, cùm Proverb. 16. 4.

16. 4. Salamon dicat: *Obominatio Domini est omnis arrogans.* Estque vitium istud ejusmodi censendum, quod manifestiùs ceteris, & irrevocabiliter DEUS plectit, ùt probè agnovit Seneca in Frag: ità canens:

Dominare tumidus, Spiritus altos gere;
Sequitur superbos ultor à tergo DEUS.

Plerique Politicorum advertunt, quòd regnorum arrogantiam eversio eorundem comitetur. Et Veteres Nemesin ultionis DEAM comitem, vel pedissequam, Arrogantiæ pinxêre. Id quod cum eò Sapientis Prov: 16. 18. concordat, *Contritionem præcedit Superbia, & ante ruinam exaltatur Spiritus.* Plato similiter lib. 4. de leg. advertit superbum à DEO derelinqui. Neq; enim ulla potest esse defensio, ubi non est DEI protectio; & per

per consequens, ubi ista non est, non poterit non esse, nisi perditio, & ruina.

§. X.

Afflictas Respublicas per pœnitentiam pristinæ suæ gloriæ restitutas esse.

RECensuimus superiùs ea peccata, quæ præsentium calamitatum, quibus premimur, fons & origo. Nunc ut ad remedia, quibus eæ fortassis averti possint, convertamur: ecquodnam melius, magísque proficuum, quàm morum emendationem, debitámque pro delictis pœnitentiam censeamus? Hanc esse tutissimam ejusmodi malorum medelam, vel illud sit argumento, quòd eam Res-

Respublicæ variæ, tot tantáque Regna, admodum proficuam;sint experta; quando hâc ratione non modò collapsa restaurârunt, sed à ruinis etiam, & ut ità dicam, ruderibus resurrexerunt. Plura ejusmodi extant in sacris literis exempla; quorum nonnulla hìc in paradigma adducam, ut, quemadmodum plurimi calamitates à DEO imminentes, pœnitentiâ vel averterint, vel ab immissis sese expedierint, planiùs cognoscamus.

Temporibus Josue, Judic: 2. sub optimo Principe, Israëliticus Populus adeò tamen sceleribus vacabat, ut justo DEI decernentis judicio severè admodum esset castigandus. Convocato quippe in populi reformationem Concilio, istud probitate suâ Josue merebatur;

tur; ut assistentem è cœlo haberet Angelum, qui imminentem ab inimicis interitum palàm minaretur. Quia tamen universus populus ad pœnitentiam, & sacrificia sese convertit, ac tot, tantísque lacrymis delicta sua deflevit, ut à profusis gemitibus locus ipse nomenclaturam & famam traxisse scribatur; confestim Divinæ ultionis flamma adeò deferbuit, ut simul eam, quam, meruêre prosperitatem, ultra centum viginti annorum spatia ad posteros quoque suos propagârint.

Parem favorem ipsa nostra Hispania in urbe Ecya est experta, Quando D. Apostolus Paulus cœlo in eam delapsus, ùt constat ex ejusdem Archivo, refértque id ipsum noster Martinus de Rosa,

pu-

publicam peccandi licentiam salubriter reprehendit. Reprehensionis tenor, ad nostra tempora apprimè pertinens, iste fuit; DEI vindictam à populo, ob multas quidem, at præcipuè ob istas causas provocari: quòd Dominici festíque dies, nôn eo, quo par est, ritu colerentur; quòd suus Divinæ Majestati, Sanctísque ejus cultus, inter tot perjuria, tot, tantásque blasphemias nõ tribueretur; quòd opera misericordiæ, debitæque Pauperibus stipes, aliáque id generis similia, negligerentur. Quapropter DEI nomine Divus hortabatur, ut sacrâ Exomologesi animos perpurgati, sacrâque Synaxi frequentiùs refecti, præfata vitia emendarent, omnémque blasphemandi occasionem, ludos nimi-

rum publicos & privatos exſtirparent; id nisì fecerint, gravem profectò à DEI manu immiſſam peſtem grandi ſuo malo experturos. Fecêre, quod jubebantur, & legibus populo ad normam reducendo ſtatutis, impendentem pœnam abegerunt. Atq; indè quot annis in feſto Converſionis S. Pauli, duplicis memoriam beneficij; & quòd de peccatis ſuis admoniti, & quòd ab eorum onere liberati ſint, ſibi recolendam aſſumpſerunt.

Iſraëlitæ à Meſopotamiæ Rege Cuſan oppreſſi, aliud calamitati ſuæ remedium, præter pœnitentiam non repererunt. Nam ſimul ac in Cœlum converſi, miſericordiam DEI implorârunt, confeſtim à DEO exauditis, per Ottonielem libertas tanta cum gloria

eſt

est restituta, ut Tyrannum ipsum, qui octo annorum spatio regnum sibi usurpavit, suæ subjecerint potestati.

In Deo spes nostræ sunt collocandæ. Quamvis enim uno alteróve, aut etiam pluribus annis hostium insultibus, & perditorum subditorũ perduellione vexemur; ubi tamen pœnitentiâ correxerimus delicta nostra, eum ingenti nominis nostri gloria in manus nostras tradentur.

Post exactos feliciter quadraginta annos Israëlitæ ad peccandi licentiam redierunt. Sed & rediit Deus ad pœnam infligendam. Quos Moabitarum Rex, occupatis pluribus locis, partim in servitutem ablegavit; partim ingenti ad commiserationem tributo one-

ravit. Quod ubi flagellum à DEO propter peccata sibi immissũ cognoverunt, atque idcirco ad pœnitentiam redierunt, mox insperato ac improviso casu ab ejusmodi tyrannide felicissimè sunt absoluti. Neque enim media & modi DEO desunt, ea unico solummodo die perficiendi, quæ durante octodecim annorum oppressione non poterant impetrari.

Rursus paucis elapsis annis ad vomitum reversus est Israël; venit ergo Rex Jabin, ut eum in ordinẽ redigeret, subjecítque illum sibi, & in miseram servitutem redegit. Neque hìc DEI miserentis dextera defuit. Sed, ubi ad seriam delictorum pœnitentiam reversi, novis rursus lamentis ac precibus cœlum interpellârunt; quantumvis vali-

dissi-

dissimo Exercitu, sub strenuo Belli Duce, inermes illi mirùm quantùm vexarentur; ab immensa calamitate, ope geminæ mulieris mirabiliter sanè sunt liberati.

Nil refert potentes esse nostros Adversarios, modò in oculis DEI nos humiliemus, quandoquidem per instrumenta etiam debilia & inermia, quidquid vult, operari DEus potest.

Iterum iterúmq; Israëlitæ Jud. 6. DEUM peccatis suis irritârunt. Consurrexerunt ergo contra eos Madianitæ, qui pagis illorum expilatis, atque in cinerem redactis, pecoribus pariter abactis, ac hominibus trucidatis, tantum populo illi timorem incusserunt, ut relictis urbibus in montes profugi, inter ferarum latibula & spelæa

miseram sortem suam, nunquam hactenus tantùm oppressi, miserandum in modum deplorarent. Sed & hìc benignissimus DEUS populo suo ad pœnitentiam, & frugem reverso, non passus est infinitam suam misericordiam diu desiderari. Sed exiguo trecentorum bellatorum manipulo, nè unico quidē eorum deleto, omnes inimicos, quàm ocyssimè profligavit. Tam facilè est DEO Respublicas quantumvis oppressas, Si mores in melius transmutent, à ruinis ad fastigia élevare.

Sed neque hìc post tot tantosque Divinæ Bonitatis favores substitit malitia Israëlitarum. Novis adhuc delictis novas Divinæ ultionis flammas provocârunt. Et consurgentes adversùs eos Philistæi

stæi & Ammonitæ, omnes eorum Provincias & tribus fœdissimè devastârunt. Conversi ergo ad Dominum, magnâ voce exclamantes: *Peccavimus tibi, quia dereliquimus Dominum DEUM nostrum.* Jud. 10. & num. 15. *Peccavimus, redde tu nobis, quidquid tibi placet.* confestim ità Divinæ Misericordiæ viscera commoverunt, ut ejectis regno hostibus, insignes simul de ijs victorias reportârint.

Quanti clamores, quantúsq; pœnitentiæ fervor fuerit in Israël, dum ad delictorum suorum multitudinem magìs, quàm ad formidabilem Holofernis exercitum cohorrescerent Judæi; refertur in libro Judith c. 4. n. 8. *Clamavit omnis populus ad Dominum constantiâ magnâ, & humiliaverunt ani-*

 mas

mas suas in jejunÿs & orationibus ipsi, & mulieres eorum; & induerunt se Sacerdotes ciliciÿs, & infantes prostraverunt contra faciem Templi Domini, & altare Domini operuerunt cilicio, & clamaverunt ad Dominum DEUM Israël unanimiter. Inferbuerat hæc pœnitentia exhortatione Pontificis Eliaan. Quo perorante, ut inquit Scriptura n. 15. *Permanebant in conspectu Domini, ita, ut etiam hi, qui offerebant Domino holocausta, præcincti ciliciÿs offerrent sacrificia Domino, & erat cinis super capita eorum, & ex toto corde suo omnes orabant DEUM, ut visitaret populum suum Israël.* Et quo tandem indè secuto effectu? ut medio nulli unquam præviso, heroico nimirum Judithæ facinore, præter gloriam divitijs quoque cumulati, in ple-

nam

plenam libertatem, securitatemque sint asserti.

Pari ratione, ubi delictis Israelis offensus DEUS; permisit eos à Philistæis non modò subjugari, sed & ipsâ privari Arcâ Testamenti 1. Reg. 7. ij verò exhortatione Samuelis commoti ad jejunia, implorandámque delictorum veniam, sese toto corde converterunt; ab eo tempore denuo caput extollentes; militante pro ijs, fulgurante, & tonante Cœlo, prodigiosâ contra Philistæos victoriâ sunt potiti.

Nec alio medio David, cum militibus, populóque, qui partes ejus sequebantur, est usus, dum 2. Regũ 15. v. 30. Regnum paternum Absolon temerariâ audaciâ invasisset. Omnis enim populus,

& milites operto capite egressi sunt in montem Oliveti, copiosis lacrymis perfusi; quos ipse quoq; Rex pari pœnitentiæ amictu contectus, quin & nudis pedibus, sequebatur. Quo quidem raro pœnitentiæ exemplo id effecit, ut & insignem de perduellibus victoriam reportaret, & in pristinum regnum plenè restitueretur.

In arctiori eratRegnum Judææ, quando 4. Reg. 18. *Sennacherib Rex Assyriorum ascendit ad universas Civitates Juda munitas, & cepit eas.* Hìc enim verò Rex Ezechias, ubi urbem viribus, se auxilio destitutum, aulam verò innumerabili circumdatam exercitu vidisset; ipse opertus sacco, Regis exemplum sequentibus primoribus Ministris, imò & SenioribusSacer-

do-

dotum, orans in templo, magno cum fervore delicta populi deplorabat. Unde factum ut cùm nulla è terris ſpes affulgeret; miſſus è cœlo Angelus noctis unius ſpatio, in caſtris Aſſyriorum, centum octoginta quinque millia percuteret, factóq; diluculo univerſa Hieroſolyma facta prædarum dives, omníque ſoluta metu à miſeranda calamitate reſpiraret.

Non abſimili periculo populus electus, Eſther 3. laboravit; quando conſilio Amani inductus Rex Aſſverus, omnes interfici imperavit. Namque ubi hoc ſibi cœlitus immiſſum flagellũ agnoverunt, atque idcirco ad pœnitentiæ remedium, jejunia, aliáſq; corporis afflictatiões recurrerunt, adeò, ut multis Sacco & cinere

pro ſtrato utentibus, omnia ulu-
latibus, gemitúsque perſonarent,
majorem ſanè omni expectatione
ſuâ, non modò pro vitæ ſuæ ſecu-
ritate, ſed inimicorum quoque ſu-
orum; exitio Hebræi verò populi
gloriâ & exaltatione, pœnitentiæ
fructum ſunt conſecuti.

Nunquam tantâ tyrannide,
ac Regis Antiochi temporibus,
populus Judaicus eſt oppreſſus; Is
enim exquiſitis eos tormentis ad
legem deſerendam adegit, Tem-
plum incendit, & validiſſimos ad
eos delendos exercitus delegavit.
Quod ubi manifeſtam delictorum
ſuorum pœnam eſſe Machabæi di-
dicerunt; confeſtim ad pœniten-
tiam & orationem converſi, pro-
digioſis de Cœlo victorijs hoſtes
profligârunt, majoríque, quàm
un-

unquam antehac Rempublicam Majestati restituerunt.

Illud autem singulare 2. Machab. 10. recensetur, quòd, cùm Timotheus, convocato exercitu peregrinæ multitudinis, & congregato equitatu Asiano in eos consurrexisset; non alijs contra eum armis, quàm oratione & pœnitentiâ sese tuerentur. *Nam caput terrâ aspergentes lumbósque ciliciis præcincti, ad Altaris crepidinem provoluti, deprecabantur DEUM.* Qui taniâ eos idcirco benignitate est prosecutus: ut militum locô submiserit Angelos; quibus hostium ruperunt phalanges ac quingentos supra viginti quinque virorum millia, sexcentósque equites interfecerunt. Et quanquam Timotheus in munitum præsidium profugus,

fugus, à persequentibus abundè sibi tutus videretur; obsesso tamen, expugnatóque præsidio, in latebris deprehensũ trucidârũnt.

Plura facilè adduci exempla possent, quibus manifestè exhibetur, tanto semper populo illi emolumento pœnitentiam fuisse, ut hâc unâ rebus afflictis mederentur; atque hoc uno medio in pristinum statũ reducerentur. Quod quidem tam sæpe, támque indubitatè accidit; ut ipsos quoq; æmulos hostésque rapuerit in admirationem. Hinc Achior Ammonita, Judit; 5. v. 19. magno animo sic fertur allocutus Holofernem: *Quotiescunq; pænituerunt se recessisse à cultura DEI sui, dedit eis DEUS cæli virtutem resistendi, deniq; Chananæum Regem, & Jebusæum, & Phe-*

Phereʒaum, & Hetaum, & Amorrhaum, & omnes potentes in Hesebon prostraverunt, & terras eorum, & Civitates eorum ipsi possederunt, & usq; dum non peccarent in conspectu DEI sui, erant cum illis bona, DEUS enim illorum odit iniquitatem. Sed illud majori sanè admiratione dignum videtur, quod Achabo 3. Reg. 21. 29. legimus accidisse. Qui, licèt intellectâ ex Elia domui suæ superventurâ ob immane scelus calamitate, sceleris turpitudine, verôque dolore non commoveretur; quia tamen, ùt inquit Scriptura, *scidit vestimenta, & operuit cilicio carnem suam, jejunavitq;, & dormivit in sacco, & ambulavit demisso capite*, istud hâc pœnitendi ratione effecit, ut Dominus diceret ad Eliam: *Non vidisti humi-*

liatum

liatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causâ, non inducam malum in diebus ejus.

Si tantùm humiliatio Idololatræ profuit; quid Christiani & Catholici verâ pœnitentiâ non consequemur? Hæc profectò, si sit syncera, tam efficax est, ut par sit toti regno ad pristinas fortunas reducendo.

Temporibus Manassis Regis Regnum Juda tam erat depravatum, ut non esset ulla ex Chananæis Natio tam perversa: adeò ut & ipsa Scriptura testetur pejores tum fuisse Judæos, quàm omnes alias, quotquot ipsi viderant gentes, à Deo propter peccata castigatas & eversas. Quare permittente Deo in pœnam iniquitatis eorum, invasit expoliavítque

Re-

Regnum illud Rex Aſſyriorum, tanta cum potentia, ut capto Rege Manaſſe, multorum criminum & ipſo Autore, compedibus catenísque vinctum in captivitatem relegaret. At ubi in vinculis, peccatorum vincula amariſſimis fletibus deploraret, illud miſerente Deo obtinuit, ut in libertatem aſſertus, regno pacem pariter reſtituerit, & tranquillitatem.

§. XI.

Magnas per pœnitentiam Victorias à Chriſtianis fuiſſe reportatas.

Ut populi quoque Chriſtiani, cum quo Deus eandẽ agendi methodum obſervavit, exempla adducamus; Tempore Heraclij Impe-

Imperatoris Imperium orientale, ùt refert Baronius ad Annum 611. majori quàm unquā aliàs intemperie vexabatur. Plurimæ gentes excusso jugo insultabant, à Persis Ægyptus, omnísque prorsus Africa occupabatur, Non reperiebat malo remedium Heraclius, nisì in pœnitentia, morúmq; ad normam reductione. Quare pullâ indutus veste, templum ingressus, humíque prostratus Divinam Misericordiam pro Imperij sui incolumitate ferventissimè imploravit. Admonitus est ergo à DEO, ut sese ad Justitiæ leges omnino conformaret; milites præter castra Pietatem quoq; sectarentur, atq; ad advertendam furoris sui vindictā communi totius populi concursu supplicationes instituerentur. Quibus

bus omnibus ritè peractis plus animis quàm armis instructus, non Imperium modò suum, & maximumRedemptionis nnstræ pign⁹, Domini Crucem, recuperavit; sed Rege Persiæ ternâ clade gloriosè profligato, Regnum quoque ejus in suam potestatem redegit. Non alia, præter preces, lacrymas, & jejunia, arma expedivit contra perduellem Eugenium Theodosius Imperator. Quibus medijs prodigiosè sanè de Tyranno triumphavit, quando & ipsa pro eo elementa mil?târunt, quemadmodum vel ipsiGentiles cum horrore stupuerunt; Unde Claudianus.

O nimiùm dilecte DEO, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti.

Modum autem, quo generosus hic Princeps ad bellum sese com-

comparavit, deſcribit, qui illo tempore floruit Ruffinus lib. 11. hiſt. Ecc. c. 35. *præparabatur ad bellum, non tam armorum telorúmque quàm jejuniorum, orationúmque ſubſidijs; nec tam excubiarum vigilijs, quàm obſecrationum pernoctationibus munitus; circuibat cum Sacerdotibus & populo omnia orationum loca; ante Martyrum, & Apoſtolorum thecas jacebat cilicio proſtratus, & auxilia ſibi fidâ Sanctorum interceſſione poſcebat.* Neque alijs tum armis uſus eſt, cùm Maximum Tyrannum ingenti ſtrage profligavit. Utraque quippe occaſione, tum inſigni reformandorum in Imperio morũ ſtudio, tum idololatriæ Hæreſeósque ſubverſione, DEUM victoriarum arbitrum, ſibi devincire eſt conatus. Poſteaquam ob Chriſtianorum delicta Baldui-

nus

nus Hierosolymæ Rex in potestatem Turcarum devenisset, miserabilis erat, & penè desperatus status Christianorum. Ergò indicto, Ninivitarum more, lactentibus quoque, & brutis animantibus jejunio, ad pœnitentiam, ultimum salutis refugium confugerunt. His armis ter mille Christianorũ, quadraginta Turcarum millia aggressi, ingenti multorum milliũ editâ strage, ipsi sani & incolumes, felicissimâ victoriâ sunt potiti.

Hanc Pœnitentiæ, & Jejunij efficaciam probè intellexit Gregorius octavus, qui dum Hierosolymæ à Saladino occupatæ jacturâ Christianitatẽ vehementer afflictã videret; & metueret, nè Barbari illius insolentia ulteriùs progrederetur; per totam Christianitatẽ pœnitentiam & jejuniũ generale instituit, ut nimirum

mirum intrà quinquennij unius decursum, certis quot hebdomadis diebus jejunaretur, & à carnibus abstineretur; & quamvis non multò pòst ipse Pontifex è vita decederet, ejus tamen Pietas, & pœnitentia effectu non caruit: sed stupendas Friderico Imperatori Victorias peperit, ille enim institutâ in terram sanctam expeditione, Turcas aliósque Infideles sæpius profligavit, ab ipsis Cæli incolis adjutus: Sexcentorum vix equitum numerô quadringentorum millium exercitum dissipavit Baron. 1290.

Perduellia contra Imperatorem Isaciũ Angelum arma movit Brana ùt refert Nicet. in Isac. Ang. existimavit Isacius meliora vincendo Tyranno arma non fore, quàm spiri-

ſpiritualia; quamobrem palatium ſuum, non armatis, ſed pœnitentibus implevit. Convocavit Monachos, qui vitæ rigori Orationem adjungerent, & inſtitutâ ſupplicatione, ipſe nudis pedibus in ipſum palatium procedens, ad pœnitentiam omnes, & orationem commovit; nec reliqua curæ habuit, donec à Conrado Cæſare monitus, exercitum, nec illum adeò validũ, in Branam duxit, qui victus fuit, & trucidatus; Iſacius verò devotionis ſuæ merito, obtentâ victoriâ glorioſus.

Nolo præterire ſilentio illud, quod evenit S. Bohemiæ Regi Wenceslao. Nam cùm ejus Provinciam Radislaus, Princeps valde potens, valido exercitu cum magna rerum jactura inundaret; ob-

viam eidem progreditur Wenceslaus; ſed ut prælium,& ſecuturam ex eo plurimorum hominum ſtragem evitaret; in DEUM confidens in duellum eâ conditione provocat Radislaum, ut hoc certamine legitimus Rex decideretur. Acceptat, ſpretóque æmulo, in loco pugnæ deſtinato, armis bellè munitus comparet Radislaus: contrà Wenceslaus ſolito eóque perexiguo gladiolo ſuccinctus, ſed, cilicio, loricæ locô, indutus. Dúmq; ſeſe ſub initium pugnæ Crucis ſigno obarmaret; ecce Victoriam! Radislaus ad Wenceslai pedes repentinò ſeſe proſternere, temerariæ audaciæ veniam implorare,palámque facere, plus armis pœnitentiæ Wenceslaum, quàm aheneâ ſeſe loricâ, valuiſſe. Dubrav. l. 4. Hiſt. Boëm,

Ma-

Magno prætereà fortunarum emolumento ejusmodi pœnitentiæ diversis fuêre. Quales sunt: Theodosius Imperator, Henricus II. Rex Angliæ, & Godefredus Dux Lotharingiæ, qui palàm ab alijs virgis cædi exoptavit, multóque humillimis officijs sese impendit, ùt apud Baronium ad Annum 390. 1172. 1847. recensetur. Unde factum: ut Theodosius comite felicitate atq; gloriâ, rebus prosperis ubique frueretur; Henricus insignem de hostibus suis victoriam reportaret; Godefredus verò majori Italiæ parte sibi subjugatâ, amplissimo dominio potiretur. Non est res tantæ admirationis, tot tantósque Principes unà cum subjectis sibi terris ad pœnitentiæ arma confugisse, ut vel Imperium

ſuum defenderent, vel firmarent, cùm etiam idipſum à Rege Aſſyriorum latâ à Deo contra Ninivitas everſionis ſententiâ videamus uſurpatum. Namque ubi perſpectum, compertúmque haberet, quantopere Regni ſui delictis Divina vindicta provocaretur; ipſe relicto ſolio, abjectâ purpurâ, ſaccum indutus, ſparsóque humi cinere delicta ſua magnis gemitibus deploravit, &, ut exemplum ſuum ſubditi, aſſumtis jejunijs, mutatáque vitæ ratione ſequerentur, imperavit. Quâ quidem pœnitendi methodo id effecerunt, ut & urbem, & regnum ab hoſtium inſultibus tutum liberúmque conſervarent. Dicit enim Scriptura: *Vidit DEUS opera eorum, quia converſi*

versi sunt de via sua mala, & misertus est.

Quod si ergo ad pœnitentiæ opera convertamur; habemus certè, quod infinitam DEI misericordiam expectemus. Necessitatur quippe quodammodo DEUS ad miserendum, ubi assumitur expiatio delictorum. Est sanè, quod pudore suffundamur, Regem gregémque gentilem ad solam hominis ignoti adhortationem tot tantáque pœnitentiæ opera assumpsisse; nos verò, qui tot vocibus admoniti, quot malis oppressi, tam multiplicem Divinæ Justitiæ vindictam experimur; procul exulante morum delictorúmque emendatione, justos nos tamen esse existimemus. Nescio, pudorémne dicam, an impudentiam? quòd

pœnitentiæ locô delicias identidem sectemur, nullúmque lasciviendi, peccandíque modum unquam statuamus.

Non est hæc sanè res nostras in melius restituendi ratio, sed majora semper mala accersendi. Ut fortunis nostris consulamus, lascivijs renunciemus, vitia exstirpemus, morésque reformemus, est necesse. Sed & illud maximopere curandum, ut Magistratus ad leges æquitatis sese unicè conforment; Ministri purâ sinceráque intentione munijs suis perfungantur; utrique bonum publicum, non verò privatum, procurent. Prælati Episcopatib⁹ suis assistant, Nobiles, personæ familiæque suæ decorem illustrent; plebeij obligationis suæ partes adimpleant;

omnes

omnes in unam promovendam DEI gloriam incumbant. Ad quod impetrandum ſanè non abs re fuerit; ſi Primores quique boni exempli facem præferant, illúdque imprimis accurent,ut & commiſſa delicta ritè expientur,& imposterum committendis occaſio amputetur. Neque enim à Principe alienum videri debet, bonum commune exemplo pariter ſuo, ac mandato procurare. Extat in Concilio quinto Toletano de hoc Decretum Cintillæ Regis Hiſpaniæ, quod hâc,Principe Chriſtiano dignâ,ſententiâ orditur: *Cùm boni Principis cura omni nitatur vigilantiâ providere Patriæ, gentisq; ſuæ commodo; tunc potiſſimùm non exiſtit infructuoſa, ſi etiam ſuâ induſtriâ placatur Divina Clementia.* Subjun-

jungit deinde: *Ab omni anima Christiana Cælorum Domino humilitatis satisfactio dependatur, & pro facinoribus, atq; flagitijs, quibus quotidie grassante Diabolo irretimur, lacrymis, jejunijsq; digna obsequia rependamus.*

§. XII.

Rebus Regni afflictis, publicam per veram pœnitentiam coram DEO humiliationem, non esse fortitudinis, aut Magnanimitatis defectum reputandum.

ANimadvertendum hìc omnino est, publicam in calamitatibus publicis pœnitentiam, neque fortitudinis, aut magnanimitatis defectum, neque aliquod apud inimicos æstimationis no-

stræ

ſtræ diſpendium cenſeri debere. Fecerunt id ipſum prudentiſſimi Provinciarum Præſides, Viri fortiſſimi, & Principes omni exceptione majores. Eorum è numero in medium adduco Davidem, cujus Viri vita & Regimen mera victoria poſſet nuncupari. Non puduit tamen hunc tantum Principem publica pœnitentiæ edere ſpecimina, & cum militibus ſuis, nudis etiam pedibus trivia perambulare; quos inter quidem tam magnanimos Duces numerabat, quibus vel ipſe Alexander Magnus invidiſſet. Prodigioſum ſanè eſt, quod de militiæ Davidicæ robore. 1. Paralip: 11. recenſet Scriptura. Et, ut heroica ipſius Davidis facinora, qui Leones diſcerpſit; & invictum Joabi ejuſdem Militiæ Præ-

fecti animum, qui inexpugnabile munimentum Jebu primus conscendit, prætereamus; illud sanè omni admiratione dignissimum est, quod de Jesbaan prodigiosæ audaciæ Heroë recensetur. Hic enim cùm aliquando cum octingentis omnino Viris manus consereret; unicus ille uno solùm impetu omnes interfecit. Sed & aliâ vice simile prodigium legitur iterâsse, cùm unicus ille trecentos aggressus, omnes unâ internecione delevit. Simile huic postremo heroicum facinus Abisai quoque scribitur æmulatus. Banajas binos robustissimos Leones aggressus, utrumque prostravit; subinde in cisternam descendit, & rursus vastissimum Leonem exanimavit. Idem ille Virum Ægypti-

ptium, par Goliatho monſtrũ aggredi auſus, haſtam è manu violentè extorſit, eáque carneam illam machinam feliciſſimè confecit. Semma quoque 2. Reg. 23. cùm omnis populus à facie Philiſtiim in fugam verteretur: agrum lente plenum contra exercitum Philiſtijm unicus ille tuebatur. Et nè longiùs nimiùm in fortitudine militum David recenſenda videar excurriſſe; unicum illud trium juvenum fortium facinus adduxiſſe ſufficiat, qui nequidquam reſiſtente Philiſtæorum exercitu, in caſtra eorum animosè irruperunt, & hauſtam de ciſterna Bethlehem aquam Regi ſuo attulerunt.

Tantis militia Davidis Heroibus abundabat, neque tamen imbecillis indicium animi eſſe autu-

mabant, si coram Divina Majestate, in cujus manu sortes eorum fortitudóque sita esset, delictorum suorum veniam, palàm implorarent.

Neq; Machabæis ejusmodi Heroës defuêre. Ipse Judas Machabæ⁹ animo invictissimo præpollebat. Non dubitabant tamen palàm assumtis corporis animíqui afflictationibus Divinæ potentiæ favores mercari, non quòd hostes suos, sed vindicem delicta ulciscentis DEI dexteram formidarent. Illud quoque, quòd hâc agendi ratione hostibus ludibrio esse possent, nihil pensi habuerunt. Quemadmodum enim usuvenire solet, ut simulato nonnunquam per stratagema recessu, ridente interim, fugámque interpretante hoste, secu-

turis

turis victorijs præludatur; ità non dubitabant, ad hostium usq; ludibrium salutaria pœnitentiæ opera frequentare, modò placato Exercituum Domino, manifestam, certámque Victoriarum spem in manibus haberent.

§. XIII.

Magnam moribus ad normam revocandis diligentiam impendendam esse.

PLena non minùs sacrorum, quàm profanorum exemplorum est vetustas, plùs rebus afflictis pœnitentiam, quàm media quantalibet profuisse. Hâc unâ majores, quàm viribus quantiscunque, victoriæ sunt reportatæ. Quapropter ut & malis nostris

consulamus, pœnitentiam agamus, est necesse. Verùm enim verò monitos omnes velim, id quod Joannes Climacus grad. 3. adnotavit: *Humilitate*, inquit ille, *non laborũ magnitudine, DEUS pœnitentiam metitur, & judicat.* Nolo equidem omnes adstrictos ad saccum, cilicia, jejunia, &c. flagella: Neque enim hic omnibus est conveniens pœnitendi modus, quamvis ij, qui sese plus ceteris deliquisse meminerunt, quorũmque muneris ratio majorem pro publico bono charitatem exigit, plura ejusmodi pœnitentiæ munia obire deberent. Et sanè ambiguus non sum, Religiosos imprimìs plurimam hac in parte placando Numini sedulitatem impensuros. Id unicum, quòd præcisè necessarium

um est, si persvasero, in lucro reponam; ut nimirum justa esse DEI flagella agnoscamus; atque ad morum emendationem media, quæ nec rigida, nec ardua sunt, omni studio procuremus. Neque enim major ad ea inquirenda conatus, quàm qui temporalibus curis impenditur, requiritur. Id unicè curandum, ut in promovendū bonum publicum personæ publicæ pariter ac privatæ adlaborent.

Rarum rei hujus exemplum Reges Josaphat & Ezechias præbuerunt. Nam, ut regna sua ab impendentibus malis præservarent; pœnitentiam, non generali duntaxat jejunij, aut alterius cujuspiam assumendæ afflictationis decreto, sed singulari ad reformandos mores instructâ commissio-

ſione, inſtituendam cenſuêre. Quare per omnes Provincias, & Urbes emiſſis Legatis id unicè accurârunt, ut indictâ delictorum emendatione juſſa ſua quàm exactiſſimè explerentur. Quemadmodum enim Principibus nova tributa & dona poſcentibus, non convenit iſtiusmodi negotium minorum gentium Miniſtris commendare, ſed primores quosque delegare, quibus id curæ incumbat, nè juſſa legésque latæ defraudentur: itâ quoque, multóq; magìs advertendum, ut nè lata pro delictorum correctione, populíq; reformatione præcepta fine ſuo fruſtrentur.

Nolim dubitare, quin ejuſmodi morum reformandorum ratio magno foret Hiſpaniæ emolu-

men-

mento. Et sanè, non abs re esset, generalem nonnunquam Regni visitationem fieri, per tales personas; per quas de universali eidem Antidoto prospiceretur.

Rex Josaphat hunc in finem Principes, præcipuósque Regni sui Proceres delegit, quibus Sacerdotes, & Levitas sociavit, ut cunctas Urbes circuirent, populúmq; in lege Divina erudirent, quâ quidem tum insigni Ministrorum qualitate, tum egregiâ imprimìs Levitarum Sanctitate id affecit, ut 2. Paralip. c. 17. vers. 9. dicat sacer textus : *Itaq; factus est, pavor Domini super omnia regna terrarum, quæ erant per gyrum Juda, nec audebant bellare cum Josaphat; sed & Philistæi Josaphat munera deferebant, & vectigal argenti, Arabes quoq; adducebant*

cebant pecora Arietum ſeptem millia ſeptingentos, & hircos totidem. Creſcebat itaque tantâ gloriâ & magnificentiâ Joſaphat, ut ad ſummum felicitatis faſtigium perveniſſe videretur.

Hiſpaniæ non remedio ſolùm ſed ingenti gloriæ foret, ſi hunc contra offenſas DEI zelum in accurato illo Rege imitaretur; quo quidem à Divina Majeſtate illud merebatur, ut & ipſe à nemine offenderetur.

Singularis ille caſus eſt, qui in conjuratione trium regnorũ, quorum jam meminimus, accidit. Namque de inito contra ſe fœdere admonitus Rex, confeſtim ad Pœnitentiæ remedium decurrit; & publicato per totum Regnum univerſali jejunio, morum modeſtiam,

ſtiam, orationíſque fervorem impensè commendavit. Deinde aciem inſtruxit, præcepítque ut ſingulæ phalanges hymnos laudésq; DEO, præſertim verò hæc Pſalmiſtæ verba: *Confitemini Domino, quoniam in æternum miſericordia ejus.* Pſal. 31. decantarent. Neque id aliud fuit, quàm victorias canere, atque hoſtiles copias profligare. Iſtæ enim furibundæ contra ſemet ipſas converſæ, mutuis ſeſe vulneribus miſerandùm trucidârunt. Et quod mirum magìs videri debet, nullo è militibus Joſaphat, vel manum movente, nè dicam, miſerâ ab hoſtibus illatâ nece, occumbente. Neque enim DEUS, illos, vel unico pilo lædi voluit, quòd aſſumtis pœnitentiæ operibus Divinam ejus miſericordiam implo-

implorâssent. Atque hoc exemplo in spem nos erigi oporreret, nos paribus Victorijs potituros, ubi pari ratione Divinam Majestatem placaverimus. Et temporale, & æternum bonum, vitæ emendatione procuratur. Et huic quidem tantundem curæ, quantum negotio cuique temporali, sufficiat impendisse; sit nobis curæ DEI honor, & nos illi curæ erimus. Quod si, quanti res isthæc momenti sit, accuratè perpenderimus, non supervacaneum profectò in emendando, populo, horum aliorúmve Principum cònatum arbitrabimur qui hoc ipso, se fore bellorum securos autumabant, quòd horum incentiva, scelera, jugularent.

Magnam quoque, neque tamen summam in hoc Ezechiæ

Regis

Regis curam legimus extitisse. Hic ubi ingentes calamitates populi sui sceleribus inductas Regno comperisset: convocato Concilio de remedijs culparum pariter ac pœnarum solicitè disceptavit. Latâ itaque sententiâ, suo, Regni totius, Procerúmque suorum nomine Cursores cum epistolis in universum Israël & Juda expedivit, adjunctis compluribus eorum, qui de civitate in civitatem progressi, populos ad pœnitentiam seriámq; peccatorum emendationem hortarentur. Quâ quidem non majori, quàm rebus alijs impensâ curâ, illud effecit, ut & desideratam in Israël, & Juda, correctionem impetraret, regnúmque ad pristinas fortunas, divitias, gloriam

&

& splendorem revocaret. 2. Paralip: 34.

Plus præstitit Sacerdos Eliacin Gubernator Judææ. Qui aliorum ad id impensâ operâ non contentus, circumiens ipse totum Israëlem ad implorandam delictorum veniam, procurandámque ab hostibus immunitatem, omnes ferventissimè hortabatur. Quâ ratione populum ad pœnitentiæ exercitia in tantùm commovit, ut placato omnino Deo, Regnum universum secundissimis rerum successibus frueretur.

Id ipsum Samuel Dux & Judex in Israël in intentione habebat: Qui comitijs institutis id unum egit, ut populum non solùm ad probitatem, rectámque vivendi rationem revocaret, sed & ipse Justi-

tiæ

tiæ leges ad amussim adimpleret; quod & finito nondum Concilio abundè præstitit, omnésque eos, qui sese gravatos jure querebantur, iniquis oneribus exemit. 1. Reg. 7.

Rex quoque Josias universos majores natu Juda & Jerusalem convocavit, tum ut regnum à morum corruptela reduceret; tum ut Principes ac Proceres Judææ ad servandam legem Dei, jurejurando obligaret. Hoc indè secuto effectu: ut, teste Scripturâ, cunctis diebus ejus non recesserint à Domino Patrum suorum. 2. Paral. 34. n. 29.


Tantam ij Principes in exstirpando vitia, curam meritò collocârunt, ut nè alienæ culpæ pœnam in se quoque derivarent. Prospicien-

cientes procul dubio, id, quod ex Petro Damiano ſuperiùs jam adnotavimus: *Cavendum eſt, nè malitia ſubditorum, redundet in Regem, etſi non delinquentem, tamen pro viribus non prohibentem.* Majorem vim adhibeat, oportet, Princeps in ſubditorum vitijs exſtirpandis, quàm in hoſtibus ſibi ſubjugandis; illis ſubditi vel in pace occumbent; his, quantumvis victorioſis, ſeſe opponent. At ubi creſcentibus delictis noſtris, non creſcerent vires inimicorum, ubi inquam ſceleribus noſtris arma ipſorum non acuerentur; victoriarum palmas, profectò nos ipſi armis noſtris meteremus.

Non eſto ſibimet, nec Regi ſuo tam grave Regnum, ut, dum peccata radicitus non exſtirpat, quan-

quantumvis dandis ritè tributis non parcat; Victoriarum tamen semina suffocet, suáque imperio membra avellat. Quin potiùs singuli, pro rerum suarum incremento, Principis sui, regníque totius emolumento, in unam reducendorum morum rationem vires omnes, nervosque intendat. Audiant, quod magnus Doctor, & Hispaniæ protector S. Isidorus unumquemque monitum cupit. *Scito, nullum tibi adversari potuisse, nisì DEUS potestatem dedisset; nec habuisset in te potestatem adversarius, nisi permitteret DEUS; universa quæ tibi accidunt, absq; DEI non veniunt voluntate. Iniquorum potestas super te, ex DEI datur licentia: omnes qui tibi adversantur, DEI consilio faciunt; manus DEI te ad pœnam tradidit,*

dit, indignatio DEI *te affligere jussit ipse iratus jussit te omnia experiri. Heu quamdiu, quousq; errabis? quem ad finem te effrænata trahit luxuria? jam tandem peccare quiesce, jam tandem desine à scelere, aliquando mores malos commuta in melius. Cur in peccati sordibus manes? cur in voluntate peccandi persistis? noli diu errare miser, de malo immutare in melius, pone peccatorum finem, pone legem nequitiæ, habeat culpa modum, habeat iniquitas terminum. Delictorum tuorum considera magnitudinem, culpas tuas, saltem verberatus, agnoscito.* Lib. 1. Synod.



§. XIV.

§. XIV.

Stante morum corruptelâ nihil Orationes, aliáque Religionis opera conferre.

HOc à pœnitentia, morúmque correctione, petitum remedium tam efficax est, ut aliud nullum, quantumcunque bonum & sanctum huic concertet. Id quod hìc, tanquam rem summi momenti, monendum judicavi. Frustra Divinæ Justitiæ gladium per orationes, supplicationes, aliásque hujuscemodi solennitates à cervicibus nostris amolimur, nisì peccatis finem imponamus. Ipse S. Scripturæ textus repetitis vicibus inculcat: non placari Deum solennitatibus, sacrificijs, & precibus inimicorum suorum Jobi

c. 27. 8. clarè dicitur: *quæ est spes hypocritæ, si avarè rapiat, & non liberet DEUS animam ejus. Nunquid DEUS audiet clamorem ejus, cùm venerit super eum angustia, aut poterit in omnipotente delectari, & invocare DEUM omni tempore ?* Et per Prophetam Isaiam dicit Dominus: *Cùm extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam; manus enim vestræ sangvine plenæ sunt.* Et sapiens inquit Prov. 28. 9. *Qui declinat aures suas, nè audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Et David quoque de peccatore loquens psal. 108. *Oratio ejus,* ait, *fiat in peccatum.* Quæ verba non pro maledictione, sed Prophetia accipienda sunt. Per Jeremiam minatur DEUS populo

suo

ſuò c. 2. v. 27. his verbis. *Et in tempore afflictionis ſuæ dicent: ſurge & libera nos; ubi ſunt Dij tui, quos feciſti tibi? ſurgant, & liberent te in tempore afflictionis.* S. quoque Joannes in epiſtola ſua Canonica 1. c. 3. v. 21. ità ait: *Chariſſimi ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad DEUM, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata ejus cuſtodimus, & ea, quæ ſunt placita coram eo, facimus.*

Cui ſimile canit Pſalmiſta. pſ. 65. 18. *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Propterea exaudivit DEUS, & attendit voci deprecationis meæ.* Et quod magìs eſt, non ſufficiet, quòd preces ſuas fundant pro regno multæ Perſonæ ſanctæ, ſi illud à multis peccatis ſuis ſeſe non emendet.

Prophetæ enim Jeremiæ Viro tã Sancto Deus mandavit, nè pro regno Júda oraret, inquiens c. 7. n. 16. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te.* Quod accidit in orationibus eorum, qui emendationem non curant, idem evenit etiam in alijs pijs operibus. Per Prophetam Amos dicit Deus c. 5. 21. *odi & projeci festivitates vestras, & non capiam odorem cætuum vestrorum; quod si obtuleritis mihi holocaustomata, & munera vestra, non suscipiam, & vota pinguium vestrorum non respiciam.* Et per Isaiam c. 1. v. 13. *Non offeretis ultra sacrificium frustra; incensum abominatio est mihi Neomeniam & Sabbatum, & festivitates alias non feram;*

ram; iniqui sunt cœtus vestri, calendas vestras, & solennitates vestras odivit anima mea, facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. Rursus per Jeremiam c. 6/n. 20. *Ut quid mihi thus de Saba offertis, & calamum svaveolentem de terra longinqua, holocaustomata vestra non sunt accepta, & victimæ vestræ non placuerunt mihi; propter hoc dicit Dominus, ecce ego dabo in populum istum ruinas, & ruent in eis patres, & filij simul, vicinus & proximus peribunt.* Insuper per Malachiam c. 2. 13. *Operiebatis lacrymis altare Domini fletu & mugitu, ità, ut non respiciam ultra ad sacrificium, nec accipiam placabile quid de manu vestra.* Omnia hæc DEUS minatur propter peccata, quorum præsentiâ opera ceteroquin sancta & fœcunda omni-

no ſterileſcunt. Cujus quidem ſterilitatis duplex eſt cauſa: altera quòd à ſceleſtis, non eâ, quâ par eſt, ratione exerceantur; altera, quòd ipſi ob delicta, quæ emendare negligunt, Divinæ Miſericordiæ oculis indigni reddantur. Hoc eò non dico, ut opera ejusmodi prorſus omittantur, cùm & illa nonnunquam DEUS remuneretur; verùm, nè malis noſtris finem allatura exiſtimemus, nisì peccatis quoque finem faciamus. Quod, ubi egerimus, nolim dubitemus, aperta nos Divinæ Miſericordiæ viſcera certò certiùs reperturos. Atque hoc ipſum per Prophetam Dominus prædicari imperavit. Poſtquam enim Iſaias Judaici populi ſacrificia propter magnam ejus iniquitatem reprobâſſet, docuiſſét-

issétque, idcirco neque eorum preces exaudiri, ità eos ad pœnitentiam DEI nomine est adhortatus: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perversè discite benefacere, quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam, & venite, & arguite me dicit Dominus.* Quasi diceret Venite, postquam egeritis pœnitentiam, à fæditate delictorum vestrorum emundati; venite, & exprobrate mihi, si vos non exaudiero, si non auxiliatus vobis fuero, si rebus prosperis non cumulavero, si mirabilia per vos non fuero operatus. Atque ideo concludit n. 19. *Si volueritis, & audiveritis me, bona terræ comedetis.* Id est: dabo vobis illa bona, & grandem il-

lam, cujus capax est terra, felicitatem.

Idipsum & nobis Deus polli-cetur. Eja ergo consilio ejus auscultemus, & tollendo vitia, nobis infinitam ejus misericordiam conciliemus. Erit illa sanè obstricta, ut, ubi delictorum veniam consecuti fuerimus, summâ pariter, vitam fortunásque nostras temporales, felicitate coronet.

Circa remedium contra publicas calamitates suggestum, Animadversio.

MAjori, quàm dici possit, inductus ratione, superioribus Mensibus, nec importuno, ùt arbitror, tempore, Tractatum edidi de causa & remedio calamitatum

tatum publicarum, illúdque egi, ut ostenderem; omnia isthæc mala, quibus hæc Monarchia mirum in modum premebatur, Reipublicæ delictis tribui oportere. Quæ quidem ponderatâ calamitatum suarum magnitudine, illud arguere facilè poterat, si non paribus, non multò tamen inferioribus sese malis fuisse afflictam, quàm olim vexatum fuerit Regnum Juda; de quo Propheta ait: quòd à planta pedis, usque ad verticem non fuerit in eo sanitas. Omnia ista, brachium Ecclesiasticum pariter ac seculare; planta populi, caput Nobilitatis & Magistratûs, itâ fortassis vulnerata sunt, ut curatione indigere videantur. Nonnulla membra, alia contagiô inficient, & cuncta damnum propagabunt. Quâ-

vis non dubitem complures mirificè probos, & in omnigenæ virtutis perfectione bellè excultos reperiri; quorum intuitu DEUM propitium nobis fore speremus, nihilominus tamen nunc Monarchiam istam DEUS, non quidem adinstar rigidi Judicis, qui cupiat depressam; sed more benigni Patris, eo fine castigat, ut delicta sua agnoscat, & emendet; atque hoc ipso ad majorem, quàm unquam hactenus celsitudinem pertingat.

Imitatus in hoc sum exemplũ Jeremiæ Prophetæ; qui Regnum Juda partim præsentibus calamitatibus oppressum, partim imminentibus vexandum animadvertens, librum contexuit, ut hoc, populo disperso, Divinæ Justitiæ vindi-

vindictam, secururâ vitæ depuratæ correctione, mitigaret.

Cùm verò continuante delictorum nostrorum malitiâ Divina Justitia etiamnum tam clementer in nos animadverterit, ut majorum pœnarum reos, exiguo solummodo rerum nostrarum successu castigârit; quemadmodum nemo ullus nostrûm est, qui id manifestè non agnoscat; quia tamen potissimus quoque eorum est numerus, qui in hac sterili agnitione solummodo perseverent, neque ad seriam vitæ emendationem, ac imprimis debitam pro delictis satisfactionem, manum admovere intendant; quam quidem injurijs sibi illatis comparem Deus eo fine requirit, ut indignationem ejus in Misericordiam, atque Be-

nignitatem comutari mereamur, idcirco Boni publici desiderio, Regnı́que amore commotus, non abs re fore judicavi, si, quam DEus in publica Monarchiarum castigatione, methodum observare consvevit, exhibendam, atque ob oculos ponendam assumerem; præsertim, cùm formidabilem ejus Justitiæ virgam, etiamnum erectam & minitantem videam; ac proinde necessarium omnino judicem, eandem avertere; rebus nostris eò perductis, quò, uti sinè singulari DEI providentia pertingere nequiverunt, ità neque sinè peculiari ejusdem favore poterunt revocari. Nam quemadmodum hæc potentissima Monarchia nullâ vi, aut medio humano tanto tempore labefactari potuit, ità ne-

que

que viribus humanis poterit re-
ſtaurari. Et ſanè, nihil tanti ad res
noſtras reparandas intereſt, ac pla-
care Numen Divinum. Videtur
mihi, & videbitur (ùt opinor) o-
mnibus, Hiſpania haud minori pe-
riculo obnoxia eſſe, ac olim fuerit
Judæa ſub exordium prædicatio-
nis & Prophetiæ Jeremiæ, quem
DEus rarâ dignatus eſt viſione. In-
tuebatur nimirum virgam in cœ-
lo ad ingentem ictum deſtinatam,
quâ indicabatur, Divinam Neme-
ſim nequedum furorem ſuum po-
ſuiſſe. Ejusmodi virgam in cœlo
conſpicuam ſpectavimus anno ſe-
culi hujus 18. quam à ſua immen-
ſitate, Trabem Mathematici nun-
cupârunt. Videtur illa nondum à
ſuis ictibus quieviſſe, ſed extre-
mum nobis ſuméque horribilem
mi-

minitari. Exhibebatur superior illa virga Jeremiæ, eo fine, ut populum DiviniDecreti admoneret; nempe: abultore DEO Regnum illud omnino evertendum, nisì finem faciat delictis. Fecit id ipsũ Propheta, atque sententiæ Divinæ relaxationem, modò resipisceret, DEI nomine, Populo illi sæpe sæpius prædicavit. Quia tamen ad frugem sese reducere neglexit, simul sententiæ suæ rigori Dominus institit, Regnum universum pessumdedit, atque miserandæ servituti & captivitati subjecit. Jam, quis non metuat, serenissimam isthanc Monarchiam quoque eversum iri, si, prout cœperunt, res nostræ procedant, atque perinde pœnæ, ac peccata, cumulentur.

Est

Eſt ſanè, quod rem iſthanc accuratè ponderemus, & quia inficiari nemo poteſt, delicta noſtra ſive publica & manifeſta; ſive privata & occulta, vel, quod certius eſt, & hæc & illa, calamitatũ publicarum cauſas eſſe, neque remedij ſpem aliunde, quàm à miſerentis DEI dextera affulgere; neſcio profectò, cur ad implorandam ejus opem junctis viribus non recurramus, neq; ad debitam pro delictis ſatisfactionem toto nos corde convertamus. Et verò: illud affirmare auſim: Res certè noſtras minori nobis curæ eſſe, quàm ſuæ olim fuerint Judæis. Hi enim delictis ſuis inſiſtebant, quòd vanis Pſevdo-Prophetarum fallacijs deluſi, ſeſe humanis medijs imperiũ in flore conſervaturos opinarentur;

tūr; nos verò, tametsi ejusmodi Prophetas non audiamus; sed â solo cœlo remedium petendum intelligamus, ab iniquitatibus tamen nostris, id quod longè turpius est, haudquaquam nos expedimus. Quam ob rem cavendum habemus, nè quemadmodū majorem expectatione suâ pœnam in Monarchiæ suæ eversione experta est Judæa, itâ ea quoq; mala verticibus nostris incumbant; quæ metuere prudenter possimus. Ac imprimìs quidem videntur ij, quorum humeris Monarchiæ moles nititur, non mediocriter obstricti esse, ut singulari, & plusquàm vulgari curâ id unum sibi procurandū assumant, ut DEus placetur, delictáque radicitus exstirpentur. Accedit, se pro muneris sui ratione ad

id

id ipsum ex charitate quoque obligari; securíque esse possunt,nihil aliud à Deo expectari. Id si egerint; non est, quod ambigant,Deum quoque malis nostri, subventurum, tametsi vanum & inane omne remedium humanum videretur.

Atque hæc est norma, quâ Deus in castigandis propter peccata Regnis, uti consvevit. Multo tempore expectat, & imissâ, super calamitatem, calamitate, ad meliorem vitæ frugem identidem nititur revocare. Neque hâc plectendi ratione Regna eversa cupit, sed correcta. Duplicem in historijs, cùm sacris, tum profanis modum reperio, quibus Imperia vel accisa fuerunt, vel omnino extincta. Nonnulla repente, alia sensim sinè sen-

ſenſu defecerunt. Nonnulla uno quaſi caſu corruendo; alia majorem indies ruinam minitando. Quædam nullâ temporis indulgentiâ ad reſpirandum conceſsâ, aliqua verò, diuturniori morâ impetratâ. Imperium Abyſſinorum æquè ac Chaldæorum, uno quaſi momento corruerunt; dicíq; poteſt: iſtud noctè unâ; illud unico ſulùm die, non ſecùs ac Perſarum uno anno, conſtitiſſe. Mitiùs cum Regno Judææ, populo utpote fideli, Deus proceſſit, neque enim illud (quia conſervare volebat, non delere) uno quaſi impetu evertit, ſed ad ſalubrem delictorum agnitionem, repetitis ictibus permovere intendit; atque adeò, jam ab Ægyptijs opprimi, jam à Chaldæis expilari, jam à vicinis vexari;
jam

jam munimenti alicujus jacturâ percelli, jam præcipuæ Nobilitatis captivitate consternari curavit. Tot, tantísque indicijs populo illi Deus luculentè ostendit, omnia ea mala à peccatis promanare, neque tollendorum spem deesse, modò iniquitatibus renunciaret. Atque, ut de eo dubitare minimè posset, Jeremiam submisit, qui utrumque, quà voce, quà pennâ confirmaret.

In ejusmodi angustijs Hispaniam constitutam esse manifestè videmus; cui solùm deest Propheta, qui tantarum calamitatum causas explanet, & proficua avertendis media subministret. Quanquam id nequaquam necessarium videatur; cùm infaustis rerum nostrarum successibus de malorum nostro-

noſtrorum origine, quidve facien-
dum nobis reſtet, abunde, doce-
amur. Quin & ipſæ, Jeremiæ,
Ezechelis, aliorúmque Propheta-
rum voces nobis inſonuerunt, il-
lud enim quod Populo fideli in le-
ge ſcripta legimus eveniſſe, idea
fuit, & documentum, quod DEUS
adversùs fideles ſuos in lege Gra-
tiæ peccaturos, adhibere decrevit.
Et quia indubitatum eſt, fidelitati
erga DEUM, nulli nationum cede-
re Hiſpaniam, hinc verba illa, quæ
DEI nomine locutus eſt Prophe-
ta, quorúmque aliqua, utpote ad
nos directa, in medium adducam,
ad eam potiſſimùm pertinere vi-
dentur. Et verò; quibus è verbis,
benignitatem DEI, quâ in Judæ-
am ferebatur, manifeſtiùs collige-
re licet, quàm ex illis apud Jere-
miam

miam c. 3. 22. *Convertimini filÿ revertentes, & sanabo aversiones vestras.* Non est profectò dubitandum, modò emendatâ morum nostrorum corruptelâ ad auxiliarem DEI dexteram convertamur, non culpis modò, sed etiam pœnis, remedium allaturam, neque permissuram, ut tam perduellium Coronæ nostræ subditorum contumaciâ, quàm aliorum quoque hostium insultatione divexemur. Horribile est illud Divinæ vindictæ Decretum, quod populi sui delictis irritatus adversùs Regnum Judææ DEUS vulgavit per Jeremiam: Ità enim DEI nomine c. 4. n. 6. loquitur Propheta: *Malum, ego abduco ab Aquilone, & contritionem magnam; Ascendit Leo de cubili suo, & Prædo Gentium se levavit, egres-*

petit, quàm ſi delicta emendes. Nî faxis, actum eſt, ſubvertêre.

Hæc in regno illo accidêre. At, non eſt Prophetia, ſed eventus, quòd malum Hiſpaniæ à DEO immiſſum ortum ducat à ſeptentrione, quódque in Regno noſtro perduellionem, ac mox ſiniſtros in Italia ac Flandria ſucceſſus cauſavit. Neque etiamnum novimus, quis rerum tam turbatarum exitus ſit futurus. Neſcio profectò, quî fiat, quòd animum ad meliora non revocemus, quòd neque futura metuamus, neque de præſentibus doleamus, nec iſtis medeamur, nec illis conſulamus. Iſtud advertendum; tantò apertiorem pœnitentiam à nobis requiri, quantò manifeſtiora fuêre ſcandala & peccata. Unde per eundem Prophetam a-

lias horribiles ruinas agglomerat, ità inquiens: c. 6. n. 19. *Ecce ego adducam mala super populum istum, fructum cogitationum ejus, quia verba mea non audierunt, & legem meam projecerunt; ut quid mihi thus de Saba affertis, & calamum suaveolentem de terra longinqua? holocaustomata vestra non sunt accepta, & victimæ vestræ non placuerunt mihi; propterea, hæc dicit Dominus: Ecce, ego dabo in populum illum ruinas, & ruent in eis Patres, & Filij simul, vicinus & proximus peribunt. Hæc dixit Dominus: Ecce populus venit de terra Aquilonis, & gens magna consurget à finibus terræ, sagittam & scutū arripiet, crudelis est, non miserebitur; vox ejus quasi mare sonabit, & super equos ascendent, præparati quasi vir ad prælium adversùm te Filia Sion.*

Audi-

Audivimus famam ejus, dissolutæ sunt manus nostræ, tribulatio apprehendit nos dolore, ùt parturientem. Nolite exire ad agros, & in via nè ambuletis, quoniam gladius inimici, pavor in circuitu. Post tot tantásque minas, hoc unicum medium suggerit: *Accingere cilicio, & conspergere cinere, luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum.* Veluti rursus diceret: Nisì peccatorum publicâ revocatione ad DEUM convertâre, nisì cilicio induare, capútque cinere conspergâre, nisì manifesto pœnitentiæ exemplo reducas, quotquot perversâ vivendi ratione ad scelera invitâras, hæc omnia nisi egeris; perijsti.

Idem nobis in Hispania, quos certè majori vitæ probitate conspicuos esse oporteret, restat fa-

ciendum; & cùm nemo cilicio induatur; quid prohibet, Superflua ornamenta rejicere? cùm nemo cinere conspergatur; quid vetat, calamistratos ad vanitatem cincinnos recidere? DEIque auxilium cum humilitate implorare?

Præfatus Jeremias, quantumvis terribiles omnino, id quod & alij Prophetæ egerunt, minas intonet; merissimas tamen quoque gratias, merósque Divinæ Misericordiæ favores resipiscentibus decantat. Non enim aliud, quàm emendationem nostram DEus desiderat, atque, ut cum humilitate ad paternam ejus dexteram recurramus. Fuêre Romani toto orbe fortissimi quique ac felicissimi judicati, & magnitudini animi sui pares omnino prosperimos rerum

sua-

ſuarum ſucceſſus ſunt experti. Ubi tamen Dictatore Valerio Publicola, duo prodigia conſpicua habuêre, hæc illi malè fauſta omina rati mox Deo ſupplices facti, elati animi criſtas ponere, continuóq; ſupplicationes, non Tribus Urbis duntaxat, ſed cum adſcitis quoque adſitis populis, inſtituere cœperunt. Complura ejusmodi prodigia, quæ grandem incutere poſſint pavorem, Hiſpania ſpectavit. Quorum non leve iſtud eſt; tam opulentam & validam Monarchiam tam brevi temporis ſpatio diminutam, & viribus ſuis tam repentè fuiſſe deſtitutam. Tempus profectò eſt, ut coram Deo humiliemur; nam ùt c. 8. 7. inquit Jeremias: *Milvus in cœlo cognovit tempus ſuum; turtur & hirundo, &*

ciconia, custodiunt tempus adventûs sui ; populus autem meus non cognovit judicium Domini. Quo illud innuere volebat: non animadvertisse Judæos, illorum temporum calamitates à Deo inflictas fuisse; atque idcirco nec tempus pœnitendi, Divinúmque Numen placandi cognovisse ; quo facto deterioris sese sortis esse, quàm inanimatas hasce volucres, ostendebant ; Istæ enim commodorum suorum tempus observant, eóque utuntur accuratè ; isti neglexerunt, & neque tum sapuerunt, cùm cæderentur.

Agnoscamus ergo justo DEI vindicantis Judicio tantas nobis immissas, quantas gementes patimur, calamitates. Tot nimirum infaustos rerum nostrarum successus, tot turbatas intentiones, tot expe-

expeditiones sinè fructu, tot Exercitus sinè effectu. Agnoscamus hoc esse tempus, quo DEUS nos judicat, & castigat; hoc, inquam, tempus esse, quo Divinæ Justitiæ flagella exosculari, atque per sinceram delictorum nostrorum detestationem Eidem reconciliari deberemus. Non illud agamus, ut nos Dominus reprehendat, quemadmodum olim Populum suum apud Jerem. c. 5. 21. his verbis reprehendit; *Audi popule stulte, qui non habes cor, qui habentes oculos, non videtis, & aures, & non auditis. Me ergo non timebitis? ait Dominus, & à facie mea non dolebitis? qui posui arenam terminum maris, præceptum sempiternum, quòd non præteribit. Commovebuntur, & non potuerunt, & intumescent flu-*

ctus ejus, & non transibunt illud. Populo autem huic factum est cor incredulum, & exasperans: recesserunt, & abierunt, & non dixerunt in corde suo metuamus Dominum DEUM nostrum. Est sanè, quam ob rem tantum Timoris DEI in ejusmodi calamitatibus defectum, vel cordis incredulitati, vel defectui judicii, atque cuipiam quasi fascino tribuamus; quòd, cùm præ oculis corruere domum videamus, ejus tamen ruinam non animadvertamus, minùs caveamus. Jam hora illa advenisse videtur, quâ, nisì pœnitentiæ fructus carpamus, res omnes nostræ omnino sint desperatæ, quâ vel oporteat, delictis finem imponi, vel Monarhiæ nostræ splendorem extingvi.

Est

Eſt ergo tempus, ut gratiâ DEI nos excidiſſe agnoſcam⁹, omnémque pro ea revocanda lapidem moveamus. Hoc unicum prope Prophetantis Jeremiæ fuerat argumentum: Ut immenſam DEI erga populum ſuum benignitatem deprædicaret, & intolerabilem populi ingratitudinem exhiberet, ut pœnas peccantibus minaretur, & veniam pœnitentibus polliceretur. In eadem nunc conſtitutam navi Hiſpaniam video; atque utinam alieno periculo cautior redderetur: utinam tot, tantósq; ſingulares ſanè DEI favores contemplaretur; quod illam pro Eccleſiæ defenſione elegerit; quòd tam vaſtam Monarchiam conceſſerit, quòd eam jam inde à primi Regis Catholici Ferdinandi regimine

tot, sinè numero, Regnis, tantâ sinè mensura felicitate cumulârit. Et ut tot tantáque Regna, quæ detectâ Indiâ nobis evenerunt, nequaquam memorem, regnante jam tum Ferdinando, Granatense, Neapolitanum, ac Navarræum Hispaniæ accessêre. Philippi primi temporibus, quamvis ut Hispaniam lustraret potiùs, quàm regeret, venisse videretur, Flandriam rursus & Austriam cum omnibus eis adjunctis Provincijs, DEUS adjunxit, tantæ amplitudinis Dominium, ut Rex ille, Reginàque Joanna dubitarent, an non præ illo, Hispaniæ Regna, Sicilia, Neapolis, & Indiæ derelinquenda forent.

Deinde sub Carolo V. tametsi hoc Principe abunde felix fuisset, quot, quantáque Regna à beni-

benigna DEI dextera Hispaniæ accesserunt. Accessit Mexicanum, Peruanum, Ducatus Mediolanensis, tantúmque hæc Monarchia sumpsit incrementum, ut Principatus & Regna pro libitu distribuere posse, censeretur. Proinde Medicæis Florentiam; Regnum Tunetanum Mulcis, Melitam Religioni S. Joannis adscripsit.

Porrò, sub Philippo II. Philippinis Lusitanicam Indiam, quin & ipsam Lusitaniam, plurium Regnorum feracem, denuo Hispaniæ DEus adauxit, dedítque; ut finibus Mundi dominaretur, posteaquam integrum mundũ donâsset.

Sub Philippo deinceps Tertio Palatinatum, aliáque magni Nominis munimenta adjecit, concessítque, ut, cùm pacificè offerren-

tur, in ſumma quoque Pace con-ſervarentur.

Proh DEUM immortalem! quam tum Hiſpanici Nominis gloriam, quas vires, quantam potentiam, quantam Regni univerſi opulentiam fuiſſe exiſtimemus? cùm vel eo, quod ipſi reliquum erat, ditaret Europam: cùm oriens uniones & aromata apportaret? cùm occidens aurum& argentum offerret? Jam quibus in Regnis, ea viſa fuit bonorum, atque Magnanimorum Regum continua ſeries, & fortitudo? Alibi, ſi duo ſibi alicujus Nominis Reges ſucceſſiſſent, prodigium habebatur: Hiſpania quot quantósque numeravit? Scimus, poſt admirabiles illos Reges Ferdinandum & Iſabellam, Hiſpaniæ Carolum quintum,

ma-

magnum illud fortitudinis, prudentiæ & pietatis prodigium imperâsse. Scimus eidem Philippum Secundum, magnum itidem Justitiæ & Sapientiæ miraculum successisse. Scimus deinde Joannem Secundum, Emmanuelem, Principum Phœnicem, Joannem tertium, admirandos æquè, ac lectissimos quósque, quos unquam viderat, Principes, Lusitaniæ præfuisse. Scimus denique, sub Philippi tertij Regis castissimi, sanctissimíque Principatu Regnum istud magnâ admodum felicitate floruisse. Et verò, etiamnum habemus, quo nobis de Regis nostri zelo, Fide, rarísque qualitatibus multùm admodum gratulemur.

Quòd Hispania continuâ serie Reges tam bonos, támque diu-

turnum eorum Principatum habuerit; cùm per multorum annorum ſpatia Ferdinandus, Carolus quintus, & Philippus ſecundus regnârint, res orbe toto mira pariter ac rara videbatur. Viris enim tot & tantis, támque inſignibus, ſingulari DEI benignitate, illo ævo abundabat, ut quæ ſuperiori ætate, in orbe reliquo ſpectabilia cenſebantur, in hanc unam, veluti cumulum congeſta crederentur. Quid enim? & Emanum; Coſtem, & Alphonſum de Albuquerq;, & Carolum quintum, ſingulos hoſce, paria haud dubiè Scipionibus, Alexandris, Cæſaribus Capita, & ſexcentos alios, rebus fortiter & prudenter geſtis conſpicuos, numeravit.

Sed

Sed omissis istis ad Fidei puritatem transeamus; quam unam Hispania cum subjectis sibi Regnis illibatam inviolatámque conservavit; quando tot alia Europæ Regna; puta: Anglia, Gallia, Dania, Svecia, Ungaria, & Boëmia hæresi vel infecta, vel eversa, eâque, quâ Hispania fruebatur, felicitate sunt privata. Grande hoc erat Divinæ dexteræ beneficium, & vel inde æstimandum, quòd cum tanta Monarchiæ gloria, potentia, opulentiáque conjungeretur.

Quantis tunc DEUS Sanctis Hispaniam honoravit? Binos solummodo geminæ Religionis Fundatores, per quos mundus erectus est, sufficiat memorâsse. Et verò singularis ille Divinæ Providentiæ

in

in Regnū istud favor extitit, quòd tam brevi temporis spatio, rebus admodùm turbatis, imprimìs novella JESU Societas, dein sacer Carmelitarum Ordo, prima ejusmodi familiæ fundamenta jecerint, in quarum utrâque Viri Sanctissimi floruerunt. Unius hìc Thaumaturgi Apostoli, Viríque Sanctissimi Francisci Xaverij, juverit meminisse; neque enim alias innumeras utriusque sexûs Personas memorare volo, quæ tantâ sanctitate conspicuæ fuerunt, ut dicere ausim: Superioribus sæculis, non ullo in regno majores extitisse. Neque hìc ad ea tempora memoriam revoco, quibus plures Tyrannorum gladius, quàm pœnitentiæ rigor Sanctorum fastis adscripsit.

Illud

Illud præterea manifestum Divinæ Providentiæ in Domus nostras est argumentum, quòd tot auspicijs ejus partas victorias numeremus. Neque dubium ullum esse potest, tanta præterlapsis seculis, támque rara beneficia in unam Hispaniam DEUM contulisse; quantis nullam omnino in Orbe Nationem est dignatus. Sed quâ tandem nostrâ in eum gratitudine? nisi quòd ea beneficia armorum locò nobis servierint, quibus in DEUM ipsum perduelles convertamur. Crescente Imperio crevit in nobis fastus, quo ceteras gentes despiceremus; per opes & divitias in vitia laxati sumus; utroque peccandi verecundiam perdidimus, nec minùs de sceleribus, ac aliàs de virtutibus gloriamur. Ec-

clesijs per incredibilem plurimorum irreverentiam omnis sublatus est cultus; injustitia in immensum crevit, Avaritia omnes limites excedit, licentia & luxuria sinè fræno bacchatur; & in grandem nostram infamiã multis Gentilibus, quos virtutes morales commendant, deteriores sumus. Insuper charitas exulat, spes in præsumtionem conversa est: sola nobis, per DEI gratiam, pura Fides reliqua est; quam tamen nimiâ, cùm de illa præsumimus, arrogantiâ contaminamus. Idem nobis, quod olim Judæis, dixero evenisse. Hi enim abunde se tutos beatósque fore autumabant, si Religionem, Fidem, Templúmque Domini conservarent. Hinc præsumptuosè nimirùm, dicebant: Templum Domi-

Domini penes nos eſt; non eſt, quod Chaldæos inimicos noſtros metuamus; non poteſt fieri, ut Dominus nos non defendat; habemus Templum in Jeruſalem, non illud deſtrui Deus permittet. Hâc falsâ fiduciâ & inani ſpe mirùm quantùm ſeſe ſolabantur. Sed ablegavit ad eos Deus Prophetam, qui eos errorem dedoceret, moneretque, ut neque in Templo, neque in mortuæ Fidei operibus ſpes ſuas collocarent. Præcepitq; Jeremiæ, ut ad præcipuam Templi portam, orientalem illam, quam omnis populus tranſibat, iſthæc altâ voce intonaret: *Bonas facite vias veſtras, & ſtudia veſtra; & habitabo vobiſcum in loco iſto; nolite confidere in verbis mendacij dicentes: Templum Domini, Templum Domini,*

ni, Templum Domini est. Quasi diceret: Ingredimini probam vivendi rationem, improbos mores ad omnis recti normam conformate: in hoc sint sitæ spes vestræ, non in Templo Domini; Hæc vos fiducia deludit, quod etiam effectus comprobavit: neque enim sat fuit penes Aulam Regni Judææ Templum Domini fuisse; sed & Aula & Regnum pari exitio, unà cum Templo, est involutum. Habemus ergo, quod metuamus, ut, si operibus bonis destituamur, vel ipsa nos Fides non defendat. Quin & timendum, ut nè de illa ipsa periclitemur. Hæc enim, cùm DEI donum sit, jure illis negatur, quorum opera, præ infidelium operibus, sunt pejora.

Illud

Illud verò vel maximè DEI vindictam irritat, quòd per flagella, immissásque nobis calamitates, cùm meliores nos fieri oporteret, facti simus deteriores. Tantò quippe magìs ad peccandum profusi videmur, quantò severiùs à DEO castigamur. Dúmque omnes delinqunt, singuli non suâ, sed alienâ culpâ malum accidisse opinantur. Populus in Magistratum, hic in populum culpam detorquet. Certum autem est, omnes nos reos esse; & ab omnibus remedium adhiberi oportere. Peccata Magistratus, propter delicta populi, quantumvis leviora, DEUS permittit. Sed, calamitates à peccatis oriri omnes sentiunt, omnes asserunt, omnes palpant, omnes quoque lamentantur, qui tamen ad

ad ſeriam emendationem animum applicet, nemo uſquam reperitur. Neſcio profectò, ecquisnam rei hujus exitus ſit futurus. Illud ſcio, niſi ſingulari ſtudio in morum emendationem incumbamus, regnum omnino evertendum, atque in turpiſſimum chaos abiturum. Contrà tamen, ſi delictorum agnitioni, ſeriam quoque correctionem adjungamus, neque remedium, vel deſperatis etiam rebus, defuturum.

Non equidem negaverim, tot proborum meritis, quorum non paucos numeramus, Divinæ Vindictæ flammas reſtingvi poſſe, ſed iſtud à DEO abſque emendationis cura requirere, plus quàm temerarium videtur. Sat manifeſtè, ùt opinor, DEus oſtendit, nihil induſtriâ

ſtriâ aut Providentiâ humanâ perficere nos poſſe, cùm tanti exercitus, & vires tantæ, absque omni fructu ſint collapſæ. Ingens foret faſcinatio, præcipitium proſpicere, neque tamen ullam evadendi curam adhibere, aut auxiliarem cœlitus manum implorare. Ingruente tempeſtate, omnes quotquot eádem navi vehuntur, junctis ſibi viribus auxiliantur. Omnium quippe, Navarchorum æquè ac Nautarum intereſt, ad remedium cooperari, omnium miſſis in cœlum ſuſpirijs, Superûm opem implorare, omnium precibus ac votivis clamoribus auras complere, ut à præſenti, quòd oculis obverſatur, exitio, redimantur. Ad extremum res noſtræ ſunt redactæ: atque idcirco ad ſupernaturalia, & Divi-

Divina remedia, quæ comitem habeant morum emendationem, est recurrendum. Reperio in sacris paginis Rempublicam Hebræam, posteaquam à DEO calamitatibus undequaque oppressa fuisset, non priùs caput erexisse, dum ab Archangelo Michaële adjuvaretur. Quare non abs re fore judicarem, si hic Cœlestis militiæ Princeps in singularem Protectorem legeretur, atque obsequio aliquo devinciretur. Cui, & illud adjungo, id quod nonnulli Autores adnotârunt; hunc Sanctum Archangelum, aut Seraphinum peculiarem sibi Domûs Austriacæ curam commissam habere: primúmque ejus Imperatorem, ùt nonnulli volunt, ipso D. Michaëlis festo, vel, ùt alij, octavo die electum

ctum fuisse Hinc ità lib. 4. Chron. c. 12. inquit Michaël Naverus: *Unde colligere possis, post tot Imperatores, qui antea Apostolicam Sedem diu exagitaverunt; Sanctum Michaelem ità providisse; ut ejus defensores ex Rudolpho geniti, plurimi essent.* Idem Autor, Domum Austriacam à singulari erga supremum hunc Spiritum, Militiæque Cœlestis universæ Ducem, devotione commendat.

Verùm, præcipua cura nostra in hoc sita esse debet, ut Divinam imprimìs Majestatem tot tantísque delictis irritatam, omni curâ, studióque nobis devinciendam existimemus. Hic labor, hoc opus esto, ut exemplo aliorum Regum & Reginarum, quibúsnam medijs, tantis malis efficaciter ob-

viari possit, seriò deliberetur. Omnibus quoque Episcopis seriò injungendum foret, ut id unum primas inter curas sibi esse velint, depravatum tot sceleribus populum, cùm institutis pijs supplicationibus tum ferventissimis Concionibus ad optatam frugem revocare.

Nolim equidem tantùm præsumere, ut media, tum Christiana, tum etiam Politica, utpote non minùs negligenda, præscribere velim; cùm dubitare non ausim, arbitria meliora, & à majori Zelo profecta non defutura. Id tantùm assero: Nequedum remedium deesse; imò multiplicia, tam supernaturalia, quàm naturalia superesse. Efficax supernaturale istud fuerit; Divinam illam, tremendámque Majestatem, condignâ

gnâ pro delictis satisfactione, reconciliare: omnes Justitiæ partes in populis adimplere, &c, ut hi cum timore DEI salutem suam ritè operentur, sedulò accurare. Ut nê illud, quod de Judæis olim frustra vapulantibus, Dominus Jerem: 2. pronunciavit, ad nos quoque dici mereatur: *In vanum percussi filios meos.* Illud erit naturale: Si providè agatur; si bona consilia auscultentur; si ad ferenda libertas concedatur; si primus ubique rationi, veritatíque locus relinquatur. Bene namque Cato apud Sallustium: *Non votis, neque supplicationibus muliebribus auxilia Deorum parantur; vigilando, agendo, bo-*

ni consulendo, prosperè omnia cedunt; ubi socordiæ te tradideris, necquidquã Deos imploras; irati infestique sunt.

A. M. D. G.



INDEX

****
§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§
****

INDEX

Materiarum, quæ in hoc Opuſculo continentur.

Im-

Impreſſum
ANNO, quô ob relatam, ad Viennam de Turcis Victoriam, meritò canendum:

gLorIa patrI, & fILIo, & spIrItVI sanCto, sICVt erat In prInCIpIo, & nVnC, & seMper, & In seCVLa.
Id eſt. 1683.

FINIS.



